

- tanta inter Sacerdotium, & imperium, c. solite, de ma-
jerit. & obed. Idem Chrysof. in Isai. homil. 4. & 5. ad
hoc propositum sic ait: *Alii sunt termini Regni, alii
Sacerdotii; sed hoc ideo est: nam Regi corpora com-
missa sunt, Sacerdoti anima.* Ac rursum: *Expende mo-
dum potestatis utriusque tradita, & videbis Sacerdotem
multo sublimius Rege sedentem. Admirandus videtur
thronus Regius; sed rerum terrenarum administrationem
fortius est. Sacerdotis thronus in caelis collocatus, de caele-
stibus negotiis habet promuntiandi auctoritatem, cum Sa-
cerdotium à supernis descendat, ejusque vinculum ani-
mam contingat, atque ad caelos usque perducatur.* Et S.
Ignatius in epistola ad Smirnensis, scripsit: *† Sacerdo-
tium summam esse honorum, qui in hominibus con-
stant.* S. Ephrem tom. 1. serm. de Sacerdotio, exclamat Sz-
cerdotium esse miraculum stupendum, potestatem in-
effabilem, venerandum ministerium, caelum attingere,
cum Angelis versari. Et S. Gregor. Nazianz. apolog. 1.
sic ait: *Mediatorem inter Deum, & hominem agere, ut
opinor, Sacerdotis munus est.* Et Gregorius Nyssen. lib.
de vita Moysis, probat ex divina Scriptura Sacerdo-
tium non rem humanam esse, sed divinam. Unde dicit
3 S. Thom. 3. part. 2. art. 1. ad 1. *† Sacerdos in quan-
tum est medius inter Deum, & populum, Angeli no-
men habet.* Et S. Chrysof. hom. 2. in 2. ad Timoth. *An
ignoras quid sit Sacerdos? Angelus utique Domini est.
Non ex seipso loquitur: si despicias, non illum despicias,
sed Deum, qui illum ordinavit.* Et S. Hieronym. in
epist. ad Nepotianum, de vita clericorum, inter Regem
& Episcopum hoc ponit discriminis, quod ille nolen-
tibus praestit, hic volentibus: ille terrorem indit, hic
servitatem demit, ille corpora custodit ad mortem, hic
animas servat ad vitam.
- 4 Unde ab ipso Ecclesiae nascentis exordio Principes
Catholici verbis, & factis semper ostenderunt quan-
tum Episcopis tribuendum esset, in omnibus se illis in-
feriores profitentes. Ac primum Constantinus ille Ma-
gnus ingressus locum in quo Episcopi convenerant ad
Concilium Nicanum celebrandum, in medio conventu
erectus constitit, ac cum parva quaedam sella ex auro
fabricata illi esset loco posita, non prius confidit, quam
Episcopi ad id annuissent, ut est apud Euseb. lib. 3. de
vita ejusdem, cap. 10. Nec solum Episcopos ut Patres,
imò verò ut Dei Prophetas omnino honorifice reveren-
datur, ut idem Euseb. in eadem historia memoriae pro-
didit, lib. 3. cap. 12. Item Valentinus Imper. virtutibus,
& rebus gestis ubique clarus, ipsos Episcopos in sum-
ma veneratione scribitur habuisse, lib. 9. tripartita histo-
ria, cap. 8. In nostris Hispaniarum Regnis, & ubicum-
que Religio Catholica viget, Episcopi reverenter, &
honorifice ab omnibus coluntur, à Dynastis etiam, &
Principibus, qui quo magis pii, & orthodoxi sunt, eo
magis Episcopos honorare solent.
- 5 Hinc S. Ambros. lib. de dignit. Sacerdot. cap. 3. pro-
fitetur nihil in saeculo sublimius Episcopis reperiri
posse, & nihil esse Episcopo excellentius: & in cap. 6.
ait Episcopum oculorum in corpore, id est in Eccle-
sia, officium voluntarium accepisse, ut reliquum per
ipsum corpus ducatum lucis haberet. Dionys. Areo-
pag. c. 7. Ecclesiast. hierarchie, p. 3. cum ex Scripturis
divinis divinum Antistitem, & iudiciorum divinarum
interpretem vocat. Angelus enim est, inquit, Domini
Dei rerum omnium praepotentis. S. Gregor. Nazianz.
in apolog. 1. de fuga, ita ait: *Quis ille est, qui virtutis
Antistitem, ac propugnatores unius diecula spatio, velut
simulacrum ex argilla fingit; illum, inquam, qui cum An-
gelorum classe, atque ordine futurus est, qui cum Archan-
gelis Deum celebrat, qui ad supremum Altare sacrificia
transmittit, simulque cum Christo Sacerdotio fungitur,
qui figmentum instaurabit, imaginemque Creatori sistet, &
superno mundo opificem aget, & ut quod majus est dicam,
Deus erit, aliosque Deos efficiet.*
- 6 Diligenter igitur, qui ad hoc dignitatum culmen

ascendere, ejusque munus subire curat, cogitare debet,
quæque tum facultates suppetant, tum difficultates offi-
ciant, ne fortè cum exiguae staturæ sit, gigantum induat
arma, quæ tum in cursu, tum in prælio impedimento
sint, cum in his permulti decipiantur, ea tentantes,
quæ sunt supra vires. Idem S. Nazianz. in orat. de mo-
der. in disp. adhib. de his loquens dicebat: *Quid in cæ-
lum provolas cum pedes sis? Quid turrim extruis, cum
his rebus careas, quæ ad eam perficiendam requiruntur?
quid ipse quoque manu aquam metiris, & caelum palmo,
terramque omnem pugillo, elementa magna, & hujusmo-
di, ut ea creator solus demetiri possit? Si enim tunc pri-
mum, inquit Bernardus, hesitant incipias, id quidem
serò: ante juxta consilium Salvatoris, Lucæ 15. sedisse
debueras, ante aestimasse opus, metiri vires, ponderasse
sapientiam, merita comparasse, sumptus computasse vir-
tutum.* Quis enim sanus, & sobrius, cum perspexerit
vix se ferendis oneribus suis sufficere, aliena quoque
onera libenti animo suscipiat? quis cum vix reddendis
domesticis rationibus suis se parem agnoscat, in pu-
blicis, vel alienis sponte operam profiteatur? Quisnam
æger, sudorumque vulnerum curandorum non satis pe-
ritus, alterius morbis mederi aggrediat? Quid enim
indignius est? quid majore pœna dignum, quam in
conspetu Dei, & Angelorum ejus, in conspectu Ec-
clæ universæ, id se scire profiteri quod ignores, id
velle quod nolles, id posse quod nullo modo possis?
Non tunc igitur hæc talia cogitanda sunt, dum jam
divino adstant Altari, sed tunc dum ambitiosè discur-
rimus, pensamus caelum, & terram, modò optatis po-
tiamur. Neque enim erit aded desperatus, & perditus
animus, qui si majestatem, & amplitudinem earum re-
rum secum diligentius considerarit, & expenderit, non
concidat, qui se dare præcipitem velit, qui sententiam
futuri judicis, quam veluti manu sua subscribit, non
exhorrescat, ne illud exaudiat, Nescitis quid petatis,
Matth. 20. Tardè, cunctanterque eundem ad Præla-
tiones, ad dignitates, opportunè ex Sponsæ modestia
colligitur, cui non semel dictum: *Veni, in amoris Can-
tico cap. 5. Veni, inquit Sponsus, de Libano Sponsa mea,
veni de Libano, veni, coronaberis.* Vides ut idem ver-
bum ingeminet, ut Sponsæ morem indicet, ægrè ituræ
ad culmina, ad coronas. Scitè Gilleb. Abbas serm. 29.
in Cantic. Vide, inquit, si non morosè egreditur de Libano
qua toties vocatur: & forsitan sponsa mora festinationem
nostram sugillat, & arguit, qui nimis prompti, & parum
providi, vires nostras minus pensantes festinamus ingredi
in labores prælationis, in sollicitudinum molestias, & ma-
teriam lapsus, nec expectantes vel semel vocari, ultro
nobis ipsi honorem sumimus, vocationem vel præventen-
tes, vel arte procurantes.

Unde S. Bernardus in serm. super Cant. contra eos,
qui se ingerunt Prælaturis, ita dicit: *Miror audaciam
plurimorum, quos videmus de suis vineis non colligere
nisi spinas, & tribulos, vineis tamen Dominicis etiam se
ingerere non vereri. Fures sunt, & latrones, non custodes,
nec cultores.* Væ (inquit Gregor. in epist. 126. lib. 7.)
*qui culmen regiminis non ad officium portandi oneris sus-
cipit, sed ad appetitum gloria, & transitorii honoris. Væ
qui dux Christiana militia fieri sustinet, nondum veterè
miles, id est diu exercitatus in omnium victoria. Epi-
scopus est aurora oriens, quando de novo venit, non ut
praesit, sed ut proficiat.*

Prædicti igitur Prælaturis temerè se ingerentes,
illaque ambientes, rudes tamen, & imperiti, aut cor-
ruptis, & depravatis moribus, si in Episcopos eligan-
tur, magis oberunt, quam proderunt. Sic etiam ra-
tione honorum, & sufficientiæ bonorum Episcopatus
appetentes illicitè faciunt, cum pertineat ad cupidi-
tatem, & ambitionem: unde contra Phariseos Do-
minus dicit, Amantes primos accubitus in cœnis, &
primas cathedras in Synagogis, salutationes in foro,
& vocari ab hominibus Rabbi. Sic denique ad celsi-
tudinem

tuidnem gradus appetere Episcopatum, præsumptu-
 osum est. Unde Dominus arguit Discipulos *Matth. 20.*
 primatum querentes, dicens: *Scitis quia Princeps gen-
 tium dominatur eorum*, ubi Chrysostom. *hom. 66.* ait
 per hoc ostendere, quod gentile est primatus cupere.
 Et idem *hom. 35.* in hæc verba, *Opus quidem deside-
 rare bonum, bonum est: primatum autem honoris concu-
 piscere, vanitas est: Primatus enim fugientem se deside-
 rat, desiderantem se horret.*

9 Verum si quis Episcopatum optet, non propter offi-
 cii dignitatem, sed propter annexum laborem, qui est
 ordinatus ad honorem Dei, & proximi salutem, bonum
 opus desiderat; sic enim hunc Apostoli locum inter-
 pretantur *D. Thom. 2. 2. quest. 185. art. 1.* *Azor. instit.*
moral. p. 2. lib. 3. c. 28. quest. 2. latè *Claud. Jaius in speculo*
Præfulis, sub rub. de eo qui Episcopatum appetit, & ad
Prælaturam moveri procurat, an peccet, necne? *Alphonf.*
Alvarez Guerrero in speculo juris Pontificii, cap. 4. post
princip. me citato in hoc loco, Maurit. Alzed. de præcell.
Episcop. dignitat. part. 1. cap. 3. n. 33. Idè quivis Episco-
 patum licitè cupit, non propter dignitatem, sed propter
 administrationem, quia optat prodessè, & non præ-
 esse. Unde Apostol. non dicit, qui Episcopatum desi-
 derat, bonum desiderium habet, sed *bonum opus*, scili-
 cet utilitatem plebis.

10 Hinc etiam *Navar. de orat. miscel. 42. num. 2.* asserit
 graviter peccare Episcopos ambientes alios Episcopa-
 tus, ad quos libera multorum beneficiorum collatio
 pertinebat, ut per ea possent suis cognatis, & familia-
 ribus providere. *Barthol. Medina in sum. lib. 1. cap. 16.*
§. 2. idem ferè resolvit. At *Homobon. de examine Ec-
 clef. part. 3. tract. 15. cap. 7. quest. 24. resol. 1.* quem vide-
 tur sequi *Diana resol. mor. p. 4. tract. 4. resol. 100.* te-
 net Episcopum, qui propter bona temporalia, vel
 ambitum alium pinguiorem Episcopatum procurat,
 peccare venialiter. At idem *Navarr. conf. 17. num. 7.*
sub tit. de sentent. excom. in novis, resolvit absque pec-
 cato, etiam veniali posse appeti Episcopatum ab illo
 qui est eo dignus, dummodo principaliter appetatur,
 ut proficit, licet minus principaliter appeteretur ob
 honorem, & fructus ejus, & ex *Petro Navar. Jacob.*
*de Graff. Tolet. & aliis comprobatur Homobon. de Bo-
 nis de humana vita statibus, part. 1. c. 6. versic. quando*
autem. Quamvis Episcopatum ambire propter bona
 temporalia sit delictum, tamen oblati citra culpam
 potest suscipi, *Morla in emporio juris part. 1. tit. 2. de*
jurisd. omni. judic. p. 5. num. 29. in princ. Pro quo-
 rum majori luce optimè distinguit *Lezana in sum.*
quest. Regul. part. 1. cap. 17. num. 22. his verbis: *Primò*
enim indignus Episcopatu, vel quia illiteratus, vel vi-
tiosus est, Episcopatum desiderans gravissimè peccat
mortaliter, quia appetit id quod non potest sine peccato
mortali administrare. *Tolet. in sum. lib. 5. c. 3. §. prima est.*
Secundò qui dignus est, & appetit Episcopatum propter
redditus temporales, tanquam finem, etiam mortaliter
peccat. Ratio est non solum quia perverse vult rem spi-
ritualem, & superioris ordinis, esse medium in ordine
ad rem temporalem, & inferioris ordinis; sed etiam quia
sic faciens, & ex vi talis ordinationis paratus est, si ne-
cesse fuerit, dignitatem Episcopalem negligere, si bona
temporalia non obtinentur. *Sot. lib. 10. de justit. q. 2. art. 1.*
Sylvest. verb. Episcopatus, §. 4. Tertiò, qui appeteret
 Episcopatum, quamvis dignus, propter redditus, aut com-
 moda temporalia, non tanquam finem ipsius Episcopatus,
 sed tanquam finem ipsius appetitionis, saltem secunda-
 rium, etsi non peccaret mortaliter, cum non appeteret
 spiritualia propter temporalia, ad minus tamen pecca-
 ret venialiter, quia tale desiderium ambitionis, avari-
 tiae, vel præsumptionis esset. *Valentia tom. 3. disp. 10.*
q. 3. punct. 2. concl. 3. §. nihilominus tamen. Quarto, qui
 etsi dignus efficaciter appeteret Episcopatum, non propter
 malum aliquem, aut inordinatum finem, sed propter sa-
 lutem animarum procurandam, adhuc peccaret, eo quòd
 Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

magno periculo salutis, quale in administratione Episco-
patus occurrit, se objicere, præsumptuosum & temera-
rium est, &c. Hactenus *Lezana.*

Utrum autem Prælati Religionis possit subditum
 obligare ad acceptandum Episcopatum, solet ab ali-
 quibus dubitari: Ego tamen non posse, verius sen-
 tio, quia Religiosus tenetur obedire Prælati in iis
 quæ sunt secundum regulam: at fieri Episcopum,
 non est secundum regulam, nec ad regularem vitam
 pertinet, immò ab illa eximit; & prorsus contra ra-
 tionem est, posse Prælatum in subdito præcipere, per
 quod ille ab ejus obedientia eximitur. Tum quia po-
 testas, quam habet Prælati Religionis, ordinatur
 per se ad commune bonum Religionis, aut bonum
 particulare subditi: nec ex vi officii habet commu-
 ni Ecclesiæ necessitati providere. Sed Episcopatus
 non ordinatur ex se ad bonum religionis, aut subdi-
 ti, sed ad bonum commune Ecclesiæ: ergo. Nec ob-
 stat quod *S. Thom. 2. 2. quest. 185. art. 2.* docet Re-
 ligiosum teneri obedire Prælati obliganti ad accep-
 tandum Episcopatum, quia ibi nomine Prælati in-
 telligi Pontificem, respondet *Sot. de just. lib. 10.*
q. 2. art. 2.

Acceptatio Prælatura (ut inquit *S. Bernard. serm. 58.*
super Cant.) procedere debet ex quadam intima stimu-
 latione sollicitante nos emulari fraternam salutem, emu-
 lantem decorem domus Domini, incrementa lucrorum ejus,
 incrementa frugum justitiae ejus, laudem, & gloriam ejus,
 ut evellat, & destruat, adificet & plantet. Volens igitur
 Dominus ascensus ad Patrem, Vicarium in terris
 constituere, & Petrum universæ Ecclesiæ Pastorem
 præficere, dicit illi: *Simon Joannis, diligis me plus his?*
dixit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. *Dixit ei:*
Pasce agnos meos. *Dicit ei iterum: Simon diligis me?* *ait*
illi, Etiam Domine, tu scis quia amo te. *Dixit ei iterum:*
Pasce agnos meos. *Dixit ei tertio, Petre amas me? con-*
tristatus est Petrus, quia dicit ei tertio, Amas me? & di-
xit ei: Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te.
Dixit ei: Pasce oves meas. Quem locum *Bernard. super*
Cant. ser. 76. sic interpretatur: *Non otiosè toties repeti-*
tum est Petro, Amas me, in commissione ovium, & ego
quidem id significatum perinde puo, ac si illi dixisset Je-
sus. Nisi testimonium tibi perhibente conscientia quod me
ames, & valde perfectè que ames, hoc est plusquam tua, plus-
quam tuos, & plusquam te, ut hujus repetitionis mea nu-
merus impleatur, nequaquam suscipias curam hanc, nec te
intromittas de omnibus meis pro quibus sanguis utique
meus fusus est. Hinc etiam Modernus quidam in annot.
super Joan. ibi, Pasce agnos meos, sic ait: Qui ex loco glo-
riantur sibi commissum gregem Domini, eos primum oportet
meminisse à Petro ter exactum amorem erga Christum,
neque quemlibet amorem, sed ardentiorum cateris. Deinde
ter item commissam illi curam gregis, illud nimirum signi-
ficatum est, non esse idoneum Sacerdotio, nisi qui neglectis
omnibus nihil amet, nisi Christum, hoc est veritatem, inno-
centiam, pietatem. Nihil magis requirit in Pastore, quam
amorem. Oves Christi docere potest & malus Pastor, &
qui eas odit, & rapit; pascere autem non potest, nisi qui
diligit. Doctos multos, & nobiles facile est reperire Pasto-
res, amatores Ecclesie paucos. Hos potissimum elegit ad
Ecclesias Iesus, qui potissimum diligunt; diligit Joannem,
elegit Petrum, diligit sibi chariorem, elegit Ecclesia uti-
liorem: diligit innocentem, elegit lapsam, ut qui ipse pœ-
nituerit, facilius pœnitenti indulgeat, ac benignius nove-
rit misereri, qui secum misericorditer actum meminerit.
Ter igitur interrogat, repetit, inculcat, an se deligat, ut
ei declaret quanta sollicitudine, desiderioque expeteret
quod toties interrogaret, simulque omnes admoneret ar-
dentissimum sui amorem in Pastore requiri; maxime
enim queritur, quod maxime desideratur. Ter exigit
amorem à Petro Iesus, nec quemlibet amorem, sed ar-
dentiorum, quam aliorum Apostolorum sui, priusquam
gregis sui curam illi committat; cui namque plus com-
 mittitur,

mittitur, plus & ab eo exigitur. Contristatus post tertiam interrogationem Petrus est, non ex eo, quod amorem suum non crederet, quem sciebat falli non posse, sed quod non tantum amorem in seipso Christus esse intelligeret, quantum habere se crederet, unde respondit, Domine tu omnia nosti. Tu scis quia amo te: quasi diceret, Ego falli possum, qui amare me dico: Tu qui omnia nosti, scis num verum sit quod dico. Certè ut scis, te à me amari, ego verò nescio an tantum à me ameris, quantum amari à me velis. Cui tandem dicit IESUS, Palce oves meas: quasi diceret, Interrogatio mea, Petre, non amoris in me tui dubitatio, sed manifestatio est, ut noverim omnes, me tibi pascendas oves meas non fuisse daturum, nisi me à te mirifice amari certò scirem. Novi namque neminem eas pascere posse, qui me non vehementer amet. Rapere quidem potest mercenarius, fur, & latro, pascere verò non potest, nisi qui animam suam pro eis ponere paratus sit. Propterea qui dixi tibi, Pasce agnos meos, dico pariter, Pasce oves meas. Idem enim sunt agni, quæ & oves meæ: sicut ego quoque & agnus sum, & ovis. Agnus, qui verè Pascha immolatus peccatum mundi tulit. Ovis, quæ ad occisionem ducta non aperuit os suum.

12. Quamobrem rectè S. Gregor. Nazianz. lib. 3. & 6. de Sacerdot. scripsit: Nemo sapiens leto animo creatur Episcopus, si quis pericula, & supplicia ei proposita considerat; atque adeo stultus videri potest, ac reprehensione dignus, qui cum viam ingredi possit complanata, & expeditam, sponte se in locum angustum, periculosumque redegerit. Quod S. Chrysostr. ad Hebr. homil. 34. latè profequitur, inter cætera dicens: Miror si potest salvari aliquis Rectorum, post tantam enim comminationem, quam negligentia videmus illatam, video aliquos etiam concurrere, & precipitare semetipsos in tantam molem, ac difficultatem regiminis. Quò etiam spectat, quod Petrarcha dicit de remedio utriusque fortune, lib. 1. dialog. 170. O vertigo morum pessima, ad quod olim consueverant, & deberent cogi homines, inde nunc retrahi non possunt.

13. Hoc idem etiam D. Bernardus ad Episcopum London. epist. 24. elegantibus, & horrendis profequitur verbis, dum ait: Curritur ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. Et qui nondum has curas experti sunt, videntes alios, qui jam humeros submiserunt huic sarcina, non solum non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari, non deterrentur periculis, quæ cupiditate cecati non vident. Quæ insania est? Ubi timor Dei? ubi mortis memoria? ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa iudicii? Quo ascendis miser? ut ab altiori gradu sit casus gravior: neque enim paulatim decides, sed tanquam fulgur in impetu vehementi (quasi alter Satanæ) subito dejiceris. Non cum tanta alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera, gravari profecto metuerent; nec cum tanto labore, & periculo dignitates affectarent: affectant autem, quia sola attenditur gloria, non pœna. Va tibi Episcope, quia peccata populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur. Dic mihi quantum desudas, ut gemitibus, orationibus, pœnitentiâ, prædicatione, &c. diluas peccata illorum, quorum bona comedis? Venies miser ante tribunal Christi, & audietur gravis querela populorum, accusatio dura eorum, quorum vixeris stipendiis, neque dilueris peccata, quibus factus es dux cæcus, & fraudulentus mediator. Quid tibi insipientis delicia sapiunt, quid divitiæ illa oblectant oculos, quibus mercaris tam grave iudicium, tam dura temetipsum obligans rationi? Universa quidem usque ad quadrantem novissimum exigeris? Unde idem Bernard epist. 8. cuidam Brunoni docto viro consulenti, an acceptaret electionem Archiepiscopatus Coloniensis, omnino recusavit dare ei consilium, sed solum dixit se oraturum pro eo; quia tamen ipse nihilominus acceptaverat, sequenti epistola terret eum electione Sauli, & Judæ: super omnia commendat ei humilitatem. Et D. Gregor. dicebat

quod nulla cura eum magis sollicitabat, quam cum ad consecrandum Episcopum ejus expectabatur arbitrium.

14. Cum profecto tot ac tanta in Episcopo requiratur noster Apostolus, & muneris ejus, ac officii ratio tam multa postulet, quisque sibi merito timere debet, ne dicam exhorrescere, cum tantum munus assumit; quæ causa multis sanè ac magnis in Ecclesia Dei viris fuit id muneris refugiendi.

Sanctum igitur Brunonem Ordinis Carthusiani Patriarcham insignem ab eremo Romam accersitum ab Urban. II. Pont. Max. cum eum diu ante coluisset, & ejus opera in Conciliis celebrandis usus fuisset usque ad Concilium Placentinum, Archiepiscopatum Rheginensem totius Calabriae Metropolim sponte oblatum recusasse, & solitudinem iteratò adiisse, ejusdem vitæ acta ab innumeris præclaris exarata scriptoribus apertissime testantur. Petr. Sutor de vita Carth. tract. 5. c. 3. Laurent. Sur. de probatis Sanctorum vitis, tom. 5. die 6. Octobris, §. 22. Meleager Pentimalli in vita S. Brunonis, tr. 1. c. 10. pag. 88. Cardin. Cæsar Baron. annal. Ecclesie tom. 11. ann. 1092. pag. 633.

Nazianzenus etiam è patria discessit, ne ad eum honoris gradum ascendere cogeretur.

S. Ambrosius noctu secessit, & se occultavit.

17. S. Ephrem Syrus cum intellexisset, se ad Episcopatum electum, tantisper furorem simulavit, donec alius electus esset. Sozom. lib. 3. historia Eccles. c. 15.

18. S. Goatus Presbyter incurabilem morbum impetravit à Domino, cum à Sigeberto Rege ad Trevirensis Episcopatum vocaretur. Surius in ejus vita.

19. S. Gregorius Magnus ad Pontificatum electus, infirmitatis suæ conscius fugam iniit, & inter sylvarum saltus, & cavernarum latibula fulgidæ columnæ indicio agnitus capitur, trahitur, & Pontifex consecratur. Joan. Diaconus in ejus vita, lib. 1. cap. 44. Card. Bellarm. annal. Eccl. tom. 8. An. 590.

20. S. Ammonius Eremita ad Episcopalem consecrationem adducendus, cum dissuadere non posset, dexteram sibi auriculam amputavit, & cum adhuc instarent, linguam quoque sibi rescissuram esse adjuravit, & ira eum reliquerunt. Nicephor. lib. 11. Ecclesiast. hist. c. 37. Pallad. historie Lausiacæ c. 12.

S. etiam Malachias cum ad Archiepiscopale onus vocaretur, & compelleretur, omnibus quibus potuit modis renuit; anathema verò minitantis ni pareat, tandem humeros submitit, dicens: Ad mortem me ducitis, sed obedio spe martyrii. Sur. in ejus vita, tom. 6. die 3. Novembr. Sbroz. de officio vicarii, in proœm. Marc. Anton. Genuens. in man. Pastorum, c. 1.

21. S. Franciscus vidit Angelum cum phiala lucida in manu limpidissimo liquore plena sibi missum dicentem: Vide Francisce, quicumque vult fieri Sacerdos, & Sacramenta administrare, ita purus esse debet in anima, sicut liquor iste: noluit vit Sanctus fieri Sacerdos, qui tantam animæ suæ non putavit esse puritatem.

22. S. Augustinus notus ob virtutem, & doctrinam, cum adhuc laicus esset, ab eis tantum Ecclesiis, quæ non haberent Episcopos, suam abstinebat præsentiam: manu injecta à populo Episcopus ordinandus infertur, qui ubertim lacrymatus est, considerans quàm magna suæ vitæ pericula de gubernatione Ecclesiæ impenderent, ita Possidonius in ejus vita, cap. 4. & testatur ipse August. epist. 147.

23. Nilamonius Monachus cum rogatus esset, ut assensum præberet electioni de se factæ in Episcopum, respondit, ut per diem expectarent, ut interea sua componeret: transacto tempore adhuc requisitus, ut tandem Episcopatum acceptaret, ait: Sinite me prius Deum paululum alloqui: in oratione autem positus à Domino petiit, ut potius eum mori pateretur, quam Episcopum creari, & antequam ab oratione bonus Pater surgeret, Deo spiritum reddidit, & mortuus est: referunt

referunt Niceph. lib. 3. c. 17. novissimè Joan. Baptist. Fino de regulis juris vespertina homilia, homil. 5. sine, Sozom. lib. 8. Ecclesiast. histor. c. 19.

S. Bernardus bis, aut ter Episcopatum sibi ultrò oblatum respuit.

S. Bonaventura semel quantum potuit, refutavit; sed postea tandem Romani Pontific. jussu coactus recepit. S. Augustinus epist. 204. asserit quod multi, quia nolebant accipere Episcopatum, perducebantur, includebantur, & custodiebantur; & Sancti quamplurimi hoc Episcopale munus vel recusarunt, vel inviti susceperunt, quorum creberrima in vitis Sanctorum apud Surium lib. 1. extant exempla, & hac ætate multos non defuisse novit parens meus, ex quibus duos tantum attingam, qui cum Ecclesiarum omnium ferè aliarum opulentissimarum, ac nobilissimarum gubernacula constantissimè recusaverint, multorum poterunt esse aliorum instar.

24 Quorum unus fuit Joannes Hurtado Dominicanus, cui cum Archiepiscopatum Toleranum Carolus Quintus Imperator secretò designasset, eique tum precibus, tum lacrymis, ac omni denique conatu obsistenti inducias Imperator ad melius deliberandum indulisset, perstitit vir egregius constantissimè in priori proposito; cujus animi magnitudinem, stabilemque omnino sententiam, ac minimè fucam, sed Deo addictam Imperator admiratus, jussit illum tuto animo esse, quem jam libertate donabat; tunc ille summa perfusus lætitia, novum munus à Cæsare postulavit, ut scilicet nemini, se vivente, quod ab eo gestum fuerat, patefaceret. Quod Cæsar fidelissimè præstitit, sed eo vita deinde functo, aliis minimè occultandum, ad reliquorum exemplum esse putavit, referunt Hernandus del Castillo in historia generali S. Dominici. p. 2. lib. 2. c. 26. fol. 102. Ludov. Muñoz en la vida del Padre Fray Luis de Granada, lib. 1. c. 11. fol. 37.

25 Alter fuit pius ille Ludovicus Granatensis ejusdem Dominicanæ Ordinis alumnus; is cum à Catharina Portugaliæ Regina, & gubernatrice, ejusdemque Caroli Imper. sorore in Archiepiscopum Bracharensem, & Hispaniarum Primatem nominaretur, graviter obstitit, ab eaque summis precibus impetravit, ut illum à tanto onere liberaret, facta promissione, quod ad illud rectè obeundum, insignis, & probatæ vitæ viri ejusdem Ordinis sibi notitiam daret; obtulit Fr. Bartholomæum à Martyribus, qui Superiorum jussu coactus, postquam semel quantum potuit refutavit, Archiepiscopatum suscepit, statimque totis viribus, & instanter Summum Pontif. supplicavit, ut sibi resignandi licentiam concederet, qua obtenta Episcopatum renunciavit, reservata sibi tenuissima pensione, qua in Monasterium à se constructum ejusdem Ordinis se recepit, ubi feliciter vitam cum morte commutavit, multis claris miraculis; historiam narrat Ludovic. Muñoz d. lib. 1. c. 11. & 12.

27 Gregor. igitur epist. 45. lib. 4. cogens quendam Marianum Monachum omninò renitentem suscipere Episcopatum, scribit cuidam, quod consoletur eum; quia, ait, cujuslibet officii valde onerosa est novitas, præsertim quia post longa quietis otia ejus proculdubio novitate perturbabitur. Idè peto ut cum venerit, tempestatum secularium procellas fugiens, semper apud vestram mentem portum quietis inveniat. Confido in Domino quod ad interiora illum evacuet, & ad exteriora gerenda confortabit. Et epist. 4. lib. 6. ad Episcopum Constant. qui dixerat se infirmum ad tantum onus, respondet: Prima virtus est cognitio infirmitatis, atque ex hoc collegimus vos bene posse susceptum ministerium implere, quia hoc cognoscitis. Ille omnibus infirmior, qui suam non cognoscit infirmitatem. Et epist. 5. eundem exhortatur ad tolerandum onus Pastorale, afferens illud: Si Christus pro omnibus mortuus est, restat ut qui vivunt, non sibi vivant,

&c. Et quia ille scripserat in epistolis suis, quod semper anhelabat ad mentis tranquillitatem, & quietem, & ad fugiendam cogitationum perturbationem, respondet, quod Pastor non potest funditus repellere perturbationem cogitationum, & curarum terrenarum, quia scriptum est, quod etiam gigantes gemunt sub aquis, id est populis: dicit tamen, quod huic cura modus ponendus est, ne nimis excrescat, quia boni Pastores afflante Spiritu sancto inter medias turmas populorum, & negotiorum non obruuntur, neque caput mentis submitunt: ambulant per sicum in medio mari, & impletur in eis illud Isa. 45. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Et quantum ad periculum officii Pastoralis, & securitatem solitudinis, respondet, quod ubique est periculum, & sola Dei gratia salvat. Nam Loth in perversa civitate fuit justus, & in monte peccavit. Quid enim paradiso jucundius? Quid cælo securius? & tamen homo ex paradiso, & Angelus de cælo peccando cecidit, refertur in c. qualibet, 40. dist. Nusquam enim est securitas, inquit Bernard. nec in cælo, nec in paradiso, multò minus in mundo: in cælo enim Angelus sub potentia dignitatis, in paradiso Adam de loco voluptatis, in mundo Judas de schola Salvatoris. Tuti tandem erimus à malis omnibus, si Deo nostra omnia committamus. Hinc Cassiodorus: Nihil potest esse securius, quam illi omnia committere, qui novit suis cultoribus congruè profutura prestare. Et Regius Propheta Psal. 56. Clamabo, inquit, ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi. Quod autem beneficium Davidi sit collatum, Chaldaica docet translatio dicens: Clamabo ad Deum, qui præcepit araneæ, ut conficeret in ore speluncae telam ad defensionem meam. Sanè cum in spelunca moraretur David, Saul eum non vidit, quandoquidem araneæ tela Davidem texerat. O admiranda Dei protectio! In hoc certè admiratur D. Paulinus, quod qui secum Deum habet, araneæ tela sibi fortissimus est murus, & antemurale: ubi è contra illum, qui sine Deo est, fortissima incenia, etiam adamantinus paries, minus quam araneæ tela defendunt.

Verè ita est, locus sanctitatem non conciliat, nec sanctitatis neglector loci sanctitate excusatur: nemo sibi de loco blandiatur. Samaritana Messiam cognovit ad fontem, quem Judæus in Templo cognoscere noluit: hinc illud S. Hieronymi epist. 4. quæ est de vivendi forma. Quid, inquit, Samaritana vilius? non solum ipsa credidit, & post sex viros unum invenit Dominum, Messiamque cognovit ad fontem, quem in templo populus ignorabat, sed & auctor sit salutis multorum. Et S. Chrysost. homil. 4. ad populum Antiochenum, hoc his verbis monitum offert. Licet in Paradiso sis, ne confidas, etenim in Paradiso erat Adam, & postquam Deum irritavit, nihil profuit Paradisus: in fornace erant isti tres pueri, & postquam bona egerunt, nihil officit fornax. In Paradiso erat Adam, & quia segnis erat, supplantatus fuit: sicut insidebat Job, & quia vigilabat, superavit: atqui quanto paradisus sicut melior? sed nihil loci virtus inhabitanti profuit.

GLOS. II.

Bonum opus desiderat.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopi munus non tam honor, quam onus est.
- 2 Servus suorum subditorum dicitur Prælatus.
- 3 Imperium, & principatus nihil aliud est præter meritum laborem.
- 4 Episcopus ministerio, & labori inservire debet. Episcopatus munus quod. ibid.

- 5 Sanctus Paulus Apostolus non Episcopatus cupiditatem, sed honestum illius munus atque opus laudare voluit.
- 6 Episcopi non ad propria commoda, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocati sunt.
- 7 Sanctus Gregorius onus suum multis depingit lacrymis.
- 8 Amos Abbas Patriarcha ordinatus, sibi magnum onus & intolerabile inunctum esse proficitur.
- 9 Sanctus Gregorius deplorat infirmitatem suam, cum Episcopus fit, & n. 10. 11. & 12.
- 13 Sanctus Bernardus gravius, & periculosius periculum cum ad Episcopatum promovetur, deplorat.
- 14 Episcopus nemo sapiens lato creatur animo.
- 15 Episcopatus est onus animarum infirmarum.
- 16 Episcopalis officii onus est pelagus laborum, & abyssus erummarum.
- 17 Pastor circa oves debet assimilari gallina circa pullos.
- 18 Episcopatus officio nihil est damnabilius apud Deum, si perfunctorie agatur, & si ut decet, nihil periculosius.
- 19 Sanctus Gregorius Episcopale onus timens cum amicis ubertim lacrymatus est, & num. 20.
- 21 Homo natus ad labores, & dolores.
- 22 Patientiam sicut in electis operatur tribulatio, ita in reprobis, & damnandis tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatione desperationem.
- 23 Onus Christi leve est, quod portantem non gravat, sed levat.
- 24 Fortis vir non est, cui non crescat animus in ipsa rerum difficultate.
- 25 Humilis an sit ille, qui superno motus arbitrio, ut debeat praesse intelligit, & tamen ex humilitate praesse contemnit.
- 26 Prodesse qui potest non debet Episcopatum removere.
- 27 Ecclesia gubernacula, periculum peccati timeus, suscipere refugians, sui tantummodo habet considerationem, & non quod in commune omnibus expedit.
- 28 Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vero vacuus, nec coactus accedat.

Pus dixit, non imperium, non dominationem, non dignitatem (quamvis sit praecleara dignitas) laborem, non delicias, opus per quod humilitate decreseat, non intumescat fastigio, ut habet Hieron. ad Ocean. Onerant enim dignitates, & onus ferre debet, qui fertur ad culmina, & magis qui sese obtrudit. Scitè Petrus Blesensis epist. 192. Sciebam, inquit, omnem honorem huius saeculi esse impedimentum grave, & quoddam peremptorium salutis aeternae. Et Senec. c. 2. de brevitate vitae. Est inter onus, & honorem non tam allusio vocis, quam rei ipsius expressa veritas: & S. Isidor. lib. 1. c. 26. Honor ex onere venit, an potius ex honore onus. Inter vocem Honor, & onus, allusionem, sive paranomasiam notant Rutil. Lup. lib. 1. de Paranomasia, Beda in figura 9. de Paranomasia, & Joan. Andr. in c. ad aures, de reb. Eccles. & in cap. si religiosus, de elect. lib. 6. super gloss. verb. obtenta, dicit quod Honor scribitur cum aspiratione, quia omnes aspirant ad honores; dictio autem Onus scribitur sine aspiratione, quia pauci aspirant ad onera. Hinc Isai. 9. vers. 6. Factus est principatus super humerum eius. Appositè Oleaster noster hinc: Dicitur principatus super humerum eius, quia illi fuit potius oneri, quam honori; solent enim servi onera super humeros gestare. Et in annot. moralì, ita scribit: Fuit principatus super humerum eius. Putant usque hodie insensati filii Adam, Imperia, Regna, & Principatus huius saeculi honores esse, non onera; quos puer noster arguit, qui suum principatum quasi grave onus super humerum gerit. Unde rectè à Patribus definitum est,

Episcopi munus non tam honorem esse, quam onus, nec tam principatum, quam ministerium, nec tam dominium, quam liberam, & ingenuam servitutem; sic enim noster Apostol. ait 1. ad Corinth. 9. Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut omnes facerem salvos. Et Origen. in Psalm. hom. 7. Qui vocatur ad Episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad servitutem totius Ecclesiae.

Servus idè suorum subditorum dicitur Prælati; 2 nam D. Bernard. super illa verba Hierem. Utevellas, & destruas, &c. sic ait: Quid horum factum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Et sequitur: Disce Prælate non tam ad imperitandum, quam ad factitandum, quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Propheta: & quidem non ille regnaturus ascendit, sed extirpaturus. Putasne & tu invenias aliquid elaborandum in agro Domini tui? Et plurimum, non planè totum quivere emundare Propheta: quando ergo libet gloriari, ubi otari non licet? Ne putet igitur Prælati gradum illum, ut vacet obtinuisse, sed ut in obsequium Dei, & proximi laboret. Attributa est dignitas in opus ministerii, ait Apostolus: in opus ministerii, id est, in ministerium operosum. Propterea Pastores appellantur Prælati, ut vigilent, & ita laborent, ac si Pastores revera essent. Hanc servitutis conditionem Ethnici etiam Principes fassi fuerunt: etenim Rex ille Macedonum Antigonus Principem filium alloquens, ut Plutarchus refert, ait: Scito regnum nostram esse splendidam servitutem. Satis sciunt Principes imperium, & principatum aliud esse nihil præter merum laborem. Hinc etiam servum se agnoscebat Alexander, qui (ut Ariannus Philosophus lib. 8. de rebus Alexandri scribit) suis dixit, Plus vigilare quam vos me certò scio, ut ipsi quietos somnos capere possitis. Servum etiam se novit Cæsar, de quo Seneca lib. de brevitate vite, ait: Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.

Labori ergo, ac ministerio, & servituti inservire 4 debet Episcopus, quod Bernard. in epist. ad Roman. hom. 11. admonet, dum dicit: In omnibus exemplo Apostoli honorificabitis ministerium vestrum: ministerium, inquam, non dominium; ipsum quidem honorificabitis, non vos: nam qui quarit quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium. Et S. Chrylost. sic ait: Differentia dignitatis facta est inter Sanctos, ut unus sit Episcopus, alius minister: contumacia verò carnis coëgit, & perversitas mundi, & operatio inimici, ut honores videantur esse, sed revera non sunt nisi ministeria. Et D. Hieronym. epist. 2. ad Nepotianum, loquens de Clerico, ita inquit: Clericus qui servit Ecclesiae, interpretetur primo vocabulum suum, ut nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Ita Episcopus ut respondeat nomini, quod gerit, totus in eo esse debet, ut vigilet, ut pascat, ut exploret, ac quod vulgò dicitur, superintendat gregi Christi. Operarius dicitur, Matth. 10. Est opus honorum Episcopatus, quia omnibus benè operari debet. Bonum existimandum est id solum, inquit Gregor. Nyssen. in orat. de mortuis, quod omnibus semper & ubique prodest, nulli nullibi unquam obest, & non mutatur. Episcopatus munus, opus Apostolus vocat, ne ludum esse quis existimet, aut animi oblectationem: id quod expendebat S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 216. Opus est, inquit, hac res, vir optime, non ludus, atque animi oblectatio; cura, non luxus; munus, non imperium. Ivo Carnotensis epist. 17. Episcopatum ita describit: Quid est Episcopatus, nisi cruciatus; quid aliud est hic honor, nisi onus? quid est hac sublimitas, nisi naufragosa tempestas? unde si inventa honesta occasione huic honori te subtraheres, & tibi soli vacares, nullo impediante, stadium vite percurrens, ad bravium superna vocationis expeditius pervenires. Assume ergo tibi 5 pennas

pennas columbae, & avolabis à molestiis, & requiesces, & habitabis in solitudine mentis.

5 Non igitur Episcopatus cupiditatem, sed honestum illius munus, atque opus laudare noster Apostolus voluit, opus autem rem difficilem, quæve fieri vix ullo modo possit, appellant non solum eruditi viri, verum etiam in hanc ipsam significationem Sacris Litteris ita scriptum est: *Virum fidelem invenire opus est.* Opus negotium est, non otium; animi sollicitudo, non delectatio; munus publicum, cuius ratio redditur, non magistratus, in quem inquiri non licet: paterna quædam cura, & gubernatio; non tyranni imperium: principatus, qui prudentiâ; non potestas, quæ temerè, nulloque consilio regatur. Ego sanè verò Episcopatus officium, atque opus eximie laudo, quoniam divinum est: eum autem, qui illius assequendi cupiditate ardet, non planè laudo, neque illum benè agere censeo, quia non intimis animi sensibus ali, sed omninò ejici ejusmodi cupiditas debet. Si quis Episcopatum desiderat, secum cogitet ad quot, & quàm magnos labores vocetur: deinde videat diligenter, an eos sustinere rectè ipse possit: tum pericula animadvertat, quoniam adversarii & aperte, & occultè eum oppugnant: neque mente sola reputer, quanta sit illa dignitas, verum etiam quot se mortis periculis objiciat; nec delectationem contempletur, nec in otio se fore putet, sed dispiciat, quæ insidiæ, quæ curæ, & sollicitudines sibi parentur; sciatque omnino si quis in illo dignitatis gradu sit collocatus, cum ideo Episcopum creatum esse; ut legitimè ipse certet, non ut otiosus voluptatem capiat; qui enim solum honorem adeptus est, cæteraque omnia, quæ ad Episcopum pertinent, officia neglexit, ex ea quidem re in maximam reprehensionem incidit.

6 Sciunt denique Episcopi, se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse. Pastores sunt non sui, sed gregis curam habentes. Episcopi sunt ad regendam Ecclesiam Dei, in qua posuit eos Spiritus sanctus. Pastores sunt opus naturæ attendentes, non dignitatem; laborem, non delicias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere, ut fiant servi, & ministri hominum propter Christum, ut intermissa Rachelis decora facie intrent ad Liam oculis lippam; de monte cum Moyse descendant ad campos, & de otio contemplationis ad laborem actionis. Hæres es, & Vicarius Petri, o Episcopo: fac opus Evangelistæ, & Pastoris; non erubescas Evangelium, si erubescendum non credis Pastoris Officium. Insta importunè, opportunè, ministerium tuum imple. Ministerium tuum plus oneris habet, quàm honoris. Si affectas honorem, mercenarius es: si onus amplecteris, potens est Dominus augere gratiam suam, ut lucra ex lucris, & ex profectibus profectus accedant. Quod si abhorreas onus, & insufficientem te reputer, fera querelâ est, prius sedisse debueras; & æstimasse opus; sarcinulam ponderasse; & computasse virtutum sumptus, & dignitati meritum comparasse.

Quàm verò deceat ab honoribus abhorrerè, & dignitates fugerè, docuit exemplo suo Christus, qui cum à Discipulis Joannis diligenter quæreretur, ut qui magna de eo à sub Magistro inaudierant, qui eo uti Magistro & Doctore possent; dixit illis humilis Salvator: *Quid queritis?* Quæ loquendi formula acutè à glossâ ordinaria premitur; quod nempe potius dixerit, quid queritis; quàm Quem queritis. *Quid, non quem, ne se videatur ostendere.* Ne videtur sese sponte obtrudere ad honores: at contra cum proditoriè ad supplicia; ad Crucem, ad mortem, dixit, *Quem queritis,* non quid; ut se videtur ostendere, ut suo exemplo doceret honores defugiendos esse, Cruces, Passiones oblatas æquè suscipiendas, animo & alacri, & libenti adeundas. Plerique con-

trà obtrudunt se ad honores: aspera quæque, ac quæ aliqua humilitate adspersa sunt, omni conatu excutunt, & fugiunt.

Hos jure damnat, vel dignitatis nomine abhorrens Sponsa, quæ dum ad coronas toties vocatur, & morosè egreditur, ad honores potius trahi, quàm ire se velle præ se fert; nam in amoris Cantico cap. 4. sic eam Sponsus alloquitur. *Veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amanæ.* Quæ verba utiliter expendit Gillebertus serm. 29. dum ait: *Vide si non morosè egreditur de Libano, quæ toties vocatur; mora tamen hæc non est contumacia, sed cautela, & forsitan sponsa mora festinationem nostram sugillat, & arguit, quæ nimis prompti, & parum providi vires nostras minus pensantes festinamus ingredi in labores Prælationis, in solitudinum molestias, & materiam lapsus, nec expectantes vel semel vocari, ultrò nobis ipsi honorem sumimus, vocationem vel prævenientes, vel arte procurantes.* Hoc ipso honore minus digni, dum nimis sollicitè quærunt, culmine magis digni futuri, si fugerint. Quæ ad Episcopale culmen traheretur Sanctus Anselmus, ipse suis verbis significavit lib. 3. epist. 1. ait enim: *Quod ignorare nequiverunt illi, qui eo die vultum meum inspexerunt, quando me Episcopi, Abbates, alique Primates ad Ecclesiam trahentes, & contradicentem raperunt: ita ut dubium videri posset, utrum sanum insanum; an insanum traherent sani: nisi quia illi canebant, & ego magis mortuo, quàm viventi colore similis, stupore & dolore pallebam: & illi, qui postea ipsa die me inusitate lugentem, dolore rationem superante, cum intente mihi licuit cogitare, & vestram dilectionem, & onus, quod meæ imbecillitati imponebatur, de longè audientes accurrerunt, & videntes me, aut animam, aut sensum amissurum, imuerunt, & hoc timore aqua benedicta me aspergentes, eam mihi potandam porrexerunt. Meliores Præsides haberemus, si eos hujus notæ haberemus, & hujus mentis. Verè ille, Bene imperant, quæ non libenter imperant.*

7 Unde Greg. ex regist. lib. 1. epist. 5. his verbis depingit onus suum: *Sub colore Episcopatus ad seculum sum redactus, & in pastoralis cura tantis terra curis inservio, quantis me in vita laica nequaquam deservisse reminiscor. Alta enim quietis meæ gaudia perdidit, & intus corruens ascendisse videor exterius, unde me à conditoris mei facie expulsus deploro. Conabar namque extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere, & non solum vocibus, sed medullis cordis ad Dei speciem anhelans dicebam: Tibi dixi, cor meum quæsit vultum tuum: vultum tuum Domine requiram, nihil in hoc mundo appetens, nihil pertimescens. Videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me plenè impletum crederem quod per Isai. 54. Dominus promittit, sustollam te super altitudines terræ (super altitudines enim terra sustollitur, qui ipsa quæ alta, & gloriosa presentis sæculi videntur per mentis despectum calcat.) A quo vertice corruerim timores, & pavores, impulsus turbine hujus tentationis; quia etsi mihi nihil timeo, eis tamen, qui mihi commissi sunt, multum formido. Undique causarum fluctibus quatior, ac deprinor tempestatibus, ita ut rectè dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire ad cor desidero post causas, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus inclusus, redire non possum, ita ut obedire nequeam voci Prophete, Isai. 46. Redite prævaricatores ad cor: sed stultis pressus cogitationibus, solummodo exclamare compellor: Cor meum dereliquit me. Et paucis interjectis: Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei mysteria predicare, cum mihi difficile sit saltem recolere? Pressus enim in hoc honore negotiorum secularium tumultu, ex eis me esse video, de quibus scriptum est: Derixisti eos, dum alleverantur; quia dum foris videntur surgere, intus cadunt, similes fumo, qui ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit. Idè scriptum est Psalmo 36. Deficientes*

quemadmodum fumus deficient. Et illud Psalm. 82. Deus teneus pone illos ut rotam: rota enim in anterioribus corruens, in posterioribus elevatur; quia quanto elevatur in bonis presentis vite, tanto in aeternis corruunt. Et quamvis aliqui sint, qui sic exteriores proventus regere sciunt, ut per eos nequaquam interius corruant, sed mihi haec difficilia sunt, quia & valde onerosa: & quod mens sponte non recipit, congrue non disponit.

S. Antonin. in sum. part. 3. tit. 20. cap. 2. §. 1. & ante Joan. Monach. in praeo spirituali, in cap. 194. ut refert Cardin. Caesar Baron. tom. 6. Annalium Eccles. an. 461. num. 6. narrat quod cum descendisset Abbas Amos in Hierosolymam, & Patriarcha ordinatus esset, venerunt omnes Monasteriorum Eremitae Abbates, ut adorarent eum, inter quos affui & ego cum Abbate meo, coepitque Patriarcha dicere Patribus: Orate pro me Patres; nam magnum onus, & intolerabile mihi injunctum est, Sacerdotique dignitas me terret immodice; Petri enim, & Pauli, & similium est regere rationabiles animas. Ego infelix peccator sum. Plus autem quam caetera timeo ordinationum sarcinam. Nam inveni scriptum, quod beatissimus, & equalis Angelis Papa Leo per quadraginta dies perseveravit ad sepulchrum Apostoli Petri, vigiliis, & orationibus insistens, petensque ab Apostolo, ut pro se apud Deum intercederet, ut dimitterentur sibi peccata sua. Impletisque diebus quadraginta apparuit ei Petrus Apostolus, dicens: Oravi pro te, & dimissa sunt tibi peccata, praeterquam impositionis manuum, hoc enim a te solum requiritur, si bene, sive fortasse aliter egeris.

9 Idem Gregor. epist. 4. ad Joan. Episcopum Constantinop. deplorat, quod indignus, & infirmus suscepit navem vetustam, & vehementer contractam, in quam undique fluctus intrant, & quotidiana ac valida tempestate quassata, & putridae tabulae naufragium sonant.

10 Idem epist. 6. ad Patr. sic ait: Dum in contemplatione dulcedinis alte describitis, ruina mea mihi gemitum renovastis: quoniam audivi quid intus perdidisti, dum foris ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me percussum mœrore agnoscite, ut vix loqui sufficiam, oculos enim mentis mea doloris tenebra obsident. Triste est quicquid aspicio, quicquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet: penso enim qualiter ab alto quietis mea culmine curruens, ibi dejectus sum, & pro culpis meis in occupationis exilium a facie dominantis missus, quasi destituta vidua vocibus cum Propheta Psalm. 68. dico, qui consolabatur me, longè recessit a me.

11 Idem epist. 7. ad Anastas. Episcopum Antiochenum. Depressus sum usque ad terram superposito onere, ita ut mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisque aciem amittens, per experimentum dicam cum Propheta, Psalm. 118. Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque: tanta quippe occupationum onera deprimunt, ut ad superna animus nullatenus erigatur; multis enim causarum fluctibus quatuor, & tumultuosa vita tempestatibus affligor. Periclitanti igitur mihi orationis vestra manum tendite vos, qui in virtutum littore statis. Quod verò me os Domini, quod lucernam dicitis, quod multis prodesse perhibetis, hoc mihi ad iniquitatum mearum tumulum accedit, ut cum vendicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam.

12 Idem epist. 24. lib. 1. ad Episcopum Constantinop. Consideranti mihi, quod impar meritis, atque toto animo renitens, Pastoralis cura pondera portare compulsus sum, caligo mœroris occurrit, & triste cor nihil aliud nisi eas, quae videre nihil sinunt, tenebras videt. Nam quis Antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Qua igitur fiducia ad Deum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propriis securus non sum? &c.

13 Exclamat etiam D. Bernardus graviore, & periculosiori debito adstrictus, his verbis: Quid ego inse-

lix? quò me veritatem nescio, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius iudicavit, contigerit negligentius custodire: si stillantem in Cruce Domini sanguinem collegissem, & esset appositus penes me in vase vitreo, quod & portari sapientius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utique Sapiencia, sanguinem illum dedit; sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multo plura, quam vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad sollicitudinis cumulum pondus timoris, quòd cum & meam, & proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Utraque abyssus est imperscrutabilis. Utraque mihi non est, & nihilominus exigitur a me utriusque custodia, & clamatur: Custos qui de nocte, Custos qui de nocte? Non est mihi dicere cum Caim: Nunquid custos fratris mei sum ego? Sed est fateri humiliter cum Propheta, quia nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

Unde Sanctus Gregorius Nazianz. in Apologia script: Nemo sapiens leto animo creatur Episcopus, si quis pericula, & supplicia ei proposita consideret, atque adeò stultus videri potest, ac reprehensione dignus, qui cum viam ingredi possit complanatam, & expeditam, sponte se in locum angustum, periculosumque redegerit. Quod S. Chrysostom. ad Hebr. homil. 54. latè prosequitur, inter caetera dicens: Miror si potest salvari aliquis Rectorum; post tantam enim comminationem, quam negligentia videmus illatam, video aliquos etiam concurrere, & precipitare semetipsos in tantam molem, ac difficultatem regiminis. Quò etiam spectat, quod dicit Petrarcha de remedio utriusque fortuna, lib. 1. dialog. 107. O vertigo morum pessima, ad quod olim consueverant, & deberent cogi homines, inde nunc retrahi non possunt.

Et S. Bernard. ad Renaldum Abbatem epistol. 73. 15 Onus animarum est infirmarum; nam quae sana sunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt: igitur egros moribus exhortando, increpando, agis opus tuum, & portando sanas, quod sanando portas. Si quis verò ita sanus est, ut magis juvet te, quam juvetur a te, hujus te parem, non patrem cognoscas; tamen in sanis minus lucraris, quia tua tibi premia minus: in infirmis autem in tantum magis lucraris, in quantum magis gravaris.

Et ipse Chrysostom. lib. 3. & 6. de Sacerdot. Onus 16 Episcopalis officii vocat pelagus laborum, & abyssum ærumnarum; quia sicut aliis præstant Episcopi dignitate, sic partes eorum sunt plus aliis cernere, & plus aliis laborare. In quantis ergo periculis versabitur, qui non de una solùm anima, sed de tot animarum gregibus rationem redditurus est? Dormiebant quidem Apostoli caeteri, instante Domini Passione; unum tamen Petrum Dominus arguit, dicens Matth. 14. Simon dormis? Aliorum enim somnus Petro imputatur, quippe qui in tanto Fidei, rerumque omnium discrimine non vigilare modò, sed alios etiam ad vigilandum cohortari debuisset.

Pastor circa oves debet assimilari gallinae circa 17 pullos: quia, ut dicit August. super Psalm. 58. Gallina super omnes aves materna charitate circa pullos sollicitatur, ita ut rota egrotet ex labore, rancescit vox, fit hispidum totum corpus, demittuntur alae, laxantur plume, &c. ita omni conatu contendere debet Episcopus esse illa Evangelica gallina, sollicita, & anxiosa, ut sub alas colligat, foveatque pullos suos. Ejus est satagere, moliri, in omnia se vertere, quoties affulget spes aliqua pertrahendi hominem ad Christum, submitiendo se ad vocem cum Paulo convertendum, unde quaque occasiones arripiendo excitandæ, propagandæque pietatis.

Item S. Augustinus, Doctorum Ecclesiae antefi- 18 gnanus

gnanus in c. ante omnia, 40. dist. dicit nihil esse miserius, tristius, & damnabilius apud Deum Episcopatus officio, si perfunctorie agatur: & si ut decet, nihil periculosius. Et Sanctus Vincentius in serm. 7. Dominica 1. post Octavam Pasche, miratur quomodo Episcopi possunt cum gaudio vivere, cogitando tantum onus, quod supra se portant: nam à circulo Lunæ usque ad centrum terræ non est perfecta securitas, ait Fulgentius: in aëre non, quia ibi dæmones insidiantes; in terra non, quia ibi homines malignantes; in mari non, quia ibi ventus, & tempestates; in inferno non, quia ibi sunt tortores animas cruciantes. Ergo supra Lunam quære securitatem, quia circa Lunam minimè reperies.

19 Hinc S. Gregorius lib. 1. epist. 24. ad Constantinop. onus Episcopale timens, sic eos alloquitur: Quod me ad Episcopatus Ordinem cognoscitis pervenisse, si me diligitis, plangite: quia hic huius mundi tanta sunt occupationes, ut per Episcopatus Ordinem veni ab amore Dei me videam esse separatum, quod incessanter desleo, atque ut pro me Dominum exoretis, rogo.

20 Idem in epist. 30. ad Joan. Patric. sic ait: Gemo quotidie occupationibus pressus, & respirare non valeo. Ecce quò me patrocinia vestra perduxerunt; sed vos, qui adhuc valetis, huius mundi occupationes fugite, quia quanto in eo quisque profecerit, tanto, ut video, ab amore Dei amplius decrescit.

21 Verùm homo natus est ad labores, & dolores (quoniam tu laborem, & dolorem consideras) labor in actionibus, dolor in passionibus est. Ad utrumque se paratum dicebat David, ad labores actionum, cum dicebat Psalm. 118. paratus sum, & non sum conturbatus, ut custodiam mandata tua: ad dolores vero passionum, dicens: Ego in flagella paratus sum, Psalm. 27. Nemo ex filiis Ade vivit sine labore, & sine dolore, neque illi de quibus Propheta dicit: In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: nam sequitur, Tenuit eos superbia (gravis enim labor est superbia) operi sunt iniquitate, & impietate sua; & hæc gravia flagella sunt; quia non est gaudere impiis, dicit Dominus. Quod si neque laboris anxietatem, neque flagelli sentiunt læsionem, ipsa jam insensibilitas vehementiam indicat passionis. Sudat pauper in opere foris, anxius laborat dives in cogitatione intus. Igitur, inquit D. Bernard. tom. 1. fol. 164. tenemus obedientiam in laboribus, patientiam in doloribus: *Fiant gentes quoniam homines sunt, id est nati ad labores actionum, & dolores passionum.* Utilis nobis labor est, quo virtutes nutriuntur, ut B. Isaias Abbas orat. 16. Labor, inquit, secundum Deum ad virtutem auxilio est, desidia vitiorum est maer, moderati corporis labores in excolendis virtutibus prosunt, & inertia pullulant vitia. Nulli se libentiùs virtutes credunt, quàm labori, nulli se vitia faciliùs committunt, quàm desidiæ. Præmitti labor quieti debet. Nam ad requiem, verba sunt Sancti Petri Damiani opusc. 13. cap. 8. non nisi per labores, & certamina pervenitur, quomodo quis ad requiem pervenit, qui necdum ad certamina ipsa, quæ in medio sunt constituta, descendit? Quo enim pacto quis valeat aulam ingredi regiam, sciam, quæ pro foribus est, nondum transiit arenam? qui propaginare non didicit, qui palmitum sarmenta non servit, qui glebas sarculis nunquam fregit, qui vomeribus novalia non sulcavit, quomodo excussis paleis in horreo frumenta recondere, aut plenis musto canalibus poterit amovere.

22 Bernardus epist. 32. consolans quendam Abbatem in tribulatione constitutum, dicit quod sicut in electis tribulatio operatur patientiam, &c. (ut dicit Apost. ad Rom. 5.) ita è converso in reprobis, & damnandis tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem. Igitur non vincaris à malo, sed spem tuam fortiter in Deo fige, & rei finem longanimiter expecta.

Item epist. 72. ad Abb. Aniacen. O verè leve onus Christi, quod portanem non gravat, sed levat. Quid eo levius onere, quod non solum non onerat, sed & portat omnem, cui portandum imponitur? Est onus exonerans, sicut penna avium, quæ ferunt à quibus feruntur. Virtus, ait idem epist. 126. ad Episcopum Aquitania, in pace acquiritur, in pressura probatur, in victoria approbatur. Vir profectò ille est, qui contra bifformes fortunæ eventus uniformi mentis constantia militat præmunitus, ait Tullius: è contra maximum indicium malæ mentis est fluctuatio, & inter simulationem virtutum, & amorem vitiorum assidua jactatio, ait Seneca in Proverbiis. Quid horres (inquit Augustinus Psalm. 62.) labores? An nescis, quia fornax mundus, ignis tribulatio, aurum electi, palea iniqui, aurifex Deus? An deat palea, purgatur arvum, palea vertitur in cinere, arvum purgatur à sordibus: quod vult ergo (inquit) artifex facio, ubi me ponit tolero, jubeor tolerare, novit ille purgare: ardeat, & fulgeat palea ad incendendum me, & quasi consumendum; sed tamen illa tandem vertetur in cineres, & ego sordibus carebo; subjecta ergo esto Deo anima mea, quia ab ipso patientia mea.

Legi, ait Bernard. ad Eugenium Papam, apud quemdam sapientem, non est vir fortis, cui non crescat animus in ipsa rerum difficultate; ego autem dico, quod fidelis homini magis est inter flagella fidendum, & quamvis non succedant ad votum, quæ secundum Deum conamur, Deo flagellante nos, nunquid ideo non debet homo facere quod tenetur, quia Deus facit quod vult? Igitur, etsi videamus multa mala, non est deponendus animus, sed semper speranda sunt meliora: nunquam enim magna bona mortalibus provenerunt, quæ non præcesserint magna mala. Itaque etiam in ipso malorum, & calamitatum diluvio, in latitudine cordis, & fiducia ambulandum est; alioquin ubi libertas filiorum Dei, ubi spiritus ille, de quo Apost. ait ad Rom. 8. Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, &c. Animus igitur, qui solum Deum præ oculis habet, & facit quod in se est, cur agitabitur scrupulis? cur tristitibus eviscerabitur? cur spiritum pusillanimitatis constringetur? in Psalm. 54. ubi nos habemus, jacta super Dominum curam tuam, juxta Hebræum habetur, projice onus tuum in Dominum, id est, fidenti animo onera curarum, ac tristitiarum tuarum in Domino projice. Quod si ante pastorales curas, & molestias fruebaris otio contemplationis, memento verbi Augustini sic dicentis, Nec otia vestra necessitatibus Ecclesie præponatis, cui si parturienti nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis. Manebas forse in monte levatis manibus orans cum Moyse: iussit Dominus, ut descendas in campum cum Josue pugnaturus cum Amalecitis: non deponas animum, quia neque in monte absque timore vivendum est, nec in medio Amalecitarum diffidendum, nam Loth inter Sodomitas fuit Sanctus, & in monte solus agens fuit incestuosus.

Humilis nescio an sit ille, qui superni nutus arbitrio, ut debeat præesse, intelligit, & tamen ex humilitate præesse contemnit; divinis enim dispositionibus subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus & aliis proficit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire. Hieremias à Domino mittitur ad prædicandum, & tamen ne mitti debeat, humiliter reluctatur, dicens, Ab Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum? Isaias Domino quærenti, quem mitteret, ultro se obtulit, Ecce ego, mitte me; in utroque hoc subtiliter est intuendum, quia & is qui recusavit, plene non restitit; & is qui mitti voluit, ante per Altaris calculum se purgatum vidit: ne aut non purgatus adire quisque mysteria sacra audeat, aut quem superna gratia eligit, sub humilitatis specie superbe contradicat. Quia verò difficile admodum est purgatum se quemlibet posse cognoscere, prædicationis officium

tutius declinatur, nec tamen declinari, ut diximus, pertinaciter debet, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. Quod Moyses utrumque miro opere explevit, qui præesse tantæ multitudini & noluit, & obedivit. Superbus enim fortasse esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet: & rursus superbus existeret, si auctoris imperio obedire recusaverit. Hinc etiam quique præcipites colligant cum quanta culpa ex appetitu proprio cæteris præferri non metuunt, si sancti Viri plebium ducatum suscipere, Deo etiam jubente, timuerunt. Opus quidem desiderare bonum, bonum est; primatum autem honoris concupiscere, vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se onerat. Et sicut is, qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est Altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel importunè se ingerit, est proculdubio repellendus. *Dejecisti eos, cum elevarentur*, in Psalm. Cum elevatur deicitur, qui honoribus proficit, & moribus cadit. Improbè igitur satis præesse affectat, quibus prodesse non curat, & quorum non zelat salutem, subjectionem nimia ambitione sibi vendicat. Væ illi qui præest, & non prodest: sed væ gravius illi, si quia præesse metuit, prodesse refugit. Sancti viri non præesse gaudent hominibus, sed prodesse, ita ut potestas eis magis sit oneris, quàm honoris. Sunt quidam, qui sciunt, & possunt, & volunt præesse: quidam qui sciunt, & possunt, sed nolunt: quidam qui nec sciunt, nec possunt, sed volunt: quidam qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt. Scire, posse, & velle, charitatis est, vel superbix; scire, & posse, & nolle, humilitatis est, vel inertix; nec scire, nec posse, nec velle, discretionis est, & providentiæ. Qui enim sciunt & possunt, & volunt præesse, si velint prodesse, charitatis est, alioquin superbix. Qui sciunt, possunt, & nolunt, humilitatis est, quod renuunt, inertix verò cum sciunt, & omninò desistunt. Qui autem nec sciunt, nec possunt, sed volunt, cupiditatis videtur, quod volunt: stultitiæ, si velint. Qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt, prudenter agunt. Summa enim discretio est nolle quod non possis, fugere quod nescis.

26 De hoc Gregor. in *Pastorali part. 1. cap. 5.* pulchrè loquitur in hunc modum: *Qui habet dona Dei, ut possit esse Pastor, si vocatus, suscipere renuit, plerumque ipsa dona sibi auferuntur; quia non pro se tantum, sed etiam pro aliis acceperat. Unde Dominus dicens: Si diligis me, pasce oves meas, clarè docuit, quod si testimonium dilectionis suæ est suscipere onus pastorale, quisquis virtutibus pollens ipsum suscipere renuit, Pastorem summum convincitur non amare. Unde idem Gregor. lib. 6. epist. 5. ad Cyriacum Patriarcham Constantinopolitanum, ita scribit: Et Pastori sanctæ Ecclesiæ dicitur: Simon Joannes, amas me? Pasce oves meas. Ex quibus verbis colligitur, quia si is, qui valet, omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit se Pastorem summum minime amare. Nam qui propriam quietem communi utilitati præfert, non potest dicere, mihi vivere Christus est, & mori lucrum, cum Apost. ad Philip. 1. & ubi eris illud ejusdem ad Rom. 14. nemo sibi vivit, & nemo sibi moritur: & illud ejusdem 1. ad Corinth. 10. non quæres quod mihi utile est, sed quod multi salvi fiant? & illud denique 2. ad Corinth. 5. ut qui vivunt, jam non sibi vivunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est?*

27 Illud intueri, dicit Clem. epist. 1. ad Iacob. in princ. quia si periculum peccati timens suscipere refugis Ecclesiæ gubernacula, certus esto, quia amplius peccas, quàm si populum Dei, velut in fluctibus positum, & periclitantem, cum juvare possis, subterfugis, tui tantummodò habens considerationem, & non quod in commune omnibus expedit, providens. *Vir Ecclesiasticus*, refert Isidor. lib. 3. de summo bono, cap. 37. & crucifigi mundo per mortificationem propria carnis debet, dispensationem Ecclesiastici Ordinis, si ex Dei

voluntate provenerit, nolens quidem, sed humilis gubernandam suscipiat. Multis intercipit Satanas fraudibus eos, qui sensus, & vitæ utilitate præstantes, præesse, & prodesse aliis nolunt. Et dum eis regimen animarum imponitur, renuunt, consultius arbitantes otiosam vitam degere, quàm lucris animarum insistere. Quod tamen decepti agunt per argumentum diaboli fallentis eos per speciem boni, ut dum illos pastorali officio retrahit, nequaquam proficiant eis qui eorum verbis, atque exemplis instrui poterant.

Unde ait Gregor. lib. 1. *Pastoralis, cap. 9. Virtutibus 28* pollens coactus ad regimen veniat: virtutibus vacuus, nec coactus accedat. Illi si omninò remittitur, caveat ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de ejus occultatione judicetur, &c. *Iste cum regimen appetit, attendat ne per exemplum bonum operis Phariseorum more ad ingressum regni tendentibus obstaculum fiat, qui juxta summi Magistri vocem, Matth. 23. nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt. Considerandum quoque est, quia cum causam populi electus Præsul suscipit, quasi ad agrum Medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus opere passiones vivunt, quæ præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat.*

G L O S. III.

Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus non solum mortifero vicio, sed illius suspicionem prorsus carere debet.
- 2 Episcopi est non solum turpia vitare, sed virtutis sua præstantia multitudinem erudire.
- 3 Exempla potius, quàm verba homines malunt.
- 4 Irreprehensibiles esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis.
- 5 Gradus quanto altior est, tanto ruina gravior. Præsules, Superioresque majori reprehensione digni futuri, si peccaverint, quo majoris fuerint dignitatis, ibid.
- 6 Ducatum hominum suscipere non debet, qui nescit homines bene vivendo præire.
- 7 Superhumeralis in Episcopis quid significet? ostenditur.
- 8 Mali non curant respicere meliores.
- 9 Irreprehensibilis ideo requiritur Episcopus, ut virtutes omnes in eo comprehendantur.
- 10 Principes sunt instar lucentium gemmarum.
- 11 Declaratur illud Evangelii, Matth. 5. Vos estis sal terræ, &c.
- 12 Agens omne agit sibi simile.
- 13 Manus sordida aliam non lavat.
- 14 Charitas ubi est, ibi & Sanctitas.
- 15 Episcopus debet ad exemplum vivendi pertrahi.
- 16 Exemplar probitatis suæ Episcopus præbere debet.
- 17 Episcopalis administrationis finis est populos commissos doctrina, & exemplo ad Deum dirigere.
- 18 Superiorum vita, & exemplum magis quàm omne aliud ad pietatem, & Dei cultum assidue instruit.
- 19 Sacerdotalis dignitas cum aliis videatur dignitatibus eminere, ita quisquis ea ornatus est, cunctis se imitandum debet ostendere.
- 20 Apostolus cur in presenti loquatur tantum de Episcopis & Diaconis, non verò de Sacerdotibus, ostenditur.
- 21 Pastorum bonorum exempla quemadmodum tam potenter ad virtutem nos alliciunt, ita contra malorum longè potentius ad malum trahunt.

- 22 Principes plus corrumunt exemplo, quam peccato nocent.
- 23 Principis vita censura est ad quam dirigimur, ad quam convertimur.
- 24 Prelatus peccans tot mortibus dignus est, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittit.
- 25 Pastor cum per abrupta graditur, ad precipitia grex sequitur.
- 26 Pastoribus subesse malis nihil aliud est, nisi ut plebs populanda prædonibus permaneat, & inde sumat interitum, unde protectionis debuit habere subsidium.
- 27 Princeps debet esse Reip. quod oculus corpori, quod intellectus animæ.
- 28 Episcopi sunt astra cæli, quorum vita inter peccata & errores hominum, quasi inter noctis tenebras lucet.
- 29 Dignum, an verò digniorem ad pastorale munus eligere teneamur? ostenditur, & n. 30. 31. & 32.
- 33 Cardinales an peccato commaculentur, restitutioneque vinciantur, qui non impediunt nominatum, si alterum digniorem arbitrentur, ostenditur.

EPISCOPUS cum omnes curæ suæ subiectos doctrina & exemplo expurgare ac perficere debeat, oportet eum non solum mortifero peccato, sed illius etiam suspicionē carere; nam, ut ait Gregor. Naz. in apolog. 1. *cujus vita despicitur, fieri vix potest, ut etiam prædicatio non contemnatur*, affirmatque non sufficere illi, qui alios ad virtutem erudire parat, ut se ab omni peccati labe purum conservet, nisi alios longè antecellat virtute, & ibi Elias Cretensis, inquit, *quod Antistitis est non solum turpia vitare, sed virtutis suæ præsentia multitudinem erudire; qui, ut ait D. Hieronymus, scribens Oceano epist. 83. futurus Pastor Ecclesiæ, talis eligitur, ad cuius comparationem rectè grex ceteri nominentur. Et dicit Isidor. lib. 3. de summo bono, c. 42. Qui præficiuntur ad regimen, aliter erga disciplinam subditorum præstare se debet, ut non solum auctoritate, verum etiam humilitate clarescat, sed tamen ita erit in eos virtus humilitatis, ne dissolvatur vita subditorum in vitiis, atque ita auctoritas aderit potestatis, ne per tumorem cordis, severitas existat immoderationis. Summa igitur Episcopaliū virtutum ad vitæ integritatem, atque innocentiam est referenda: cum homines malint potius exempla, quam verba, ut inquit Lactant. lib. 3. divin. inst. quia, ut admonet August. ad pastores tom. 10. Episcopus honestè, & ut Christianum Antistitem decet, vivat, caveatque ne suo exemplo subditis noceat. Et Abimelech Rex cum ligna cæderet, & portaret, dicebat suis, Judic. 9. *quod me vidistis facere, citò facite. Quod & Salvator ipse præcepit Matth. 5. dicens: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Episcoporum enim vita norma atque exemplum est subditorum, c. cum pastoris 2. quæst. 7. c. miramur, 61. dist. Concil. Trident. sess. 6. de reform. cap. 1. in princ. ibi, integritas enim præsidium salus est subditorum. Gamb. de officio legati lib. 2. num. 50. Sot. de justit. lib. 3. q. 1. art. 1. fol. 4. Joan. Filesc. de sacra Episc. auctor. cap. 1. §. 1. in fine, fol. 2. unde colligi potest quantum distare debet Pastor à grege, dum istos homines, & illos plusquam homines, idest lucem hominum Dominus voluit appellari. Et ita sine crimine eos esse oportet, ut hunc Apostoli locum intelligit glossa ordinaria, vel sine notabili defectu, & integræ famæ, prout interpretatur Nicol. de Lyra, ut illud possint dicere cum Christo, Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & Joan. 13. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Et illud Apost. 1. ad Corinth. 4. Imitatores mei estote, quemadmodum ego Christi. Nam si Pastor, inquit Gregor. 1. part. Pastoralis, c. 2. per abrupta graditur, grex profecto ad precipitia sequetur: aut qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vul-*
*Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.***

nus portat, tantumque debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, eadem necessitate compellitur summa monstrare, ne subditi in exemplo ejus qui præest, quasi in obstaculo itineris offendant. Sacerdotes namque vocamur, quod idè præsumus, ut sacrum ducatum fidelibus præbeamus; nullique illicitum videtur, inquit Ambros. de dignitate Sacerdotali, c. 6. *quod ab Episcopo quasi licitum pertractatur.*

Hinc in Sacerdotibus ordinandis, quæ sunt à Patribus præscripta, & diffinita, cogitatis; quia sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem Vicarij Sacerdotes, sic & in eligendis his curam oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles enim esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis, nec quidquam illi deesse personæ, penes quam est religionis summa, & substantia disciplinæ. Æstimet quis pretium Dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse pastoris, ex Anselmo, & aliis refert Ant. Aug. in epist. ejus Pontif. vet. lib. 4. tit. 3. c. 11. Et S. Hieron. ad cap. 3. Michæ, ita dicit: *Reverè qui ad hoc eliguntur, ut ceteris præsent, sicut præordinantur dignitate, sic præeminere debent sanctitate. Providendum igitur, ait idem Ambros. ubi proxime, c. 2. dum agitur de sublimitate Episcopali, ne sit honor sublimis, & vita deformis: ne sit deifica professio, & illicita actio: ne sit religiosus amictus, & irreligiosus proventus: ne sit gradus excelsus, & deformis excessus; quia sicut nihil esse dicimus Episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sancta vita Episcopus periclitetur, si Sacerdos in crimine teneatur. Nam quando gradus altior est, tanto ruina gravior: honor grandis grandiori debet sollicitudine circumvallari. Idè igitur prerogativa honoris monstratur, ut merita congrua requirantur.*

Præsules igitur, Superioresque majori reprehensione digni futuri, si peccaverint, quo majoris ipsi dignitatis fuerint. Eva peccavit, peccavit post ipsam & Adam, sed prius Deus ambos insequens ad auram post meridiem ambulans, Adam vocavit, dicens: *Ubi es? Genes. 3. 9. Cur prius non vocat quæ peccaverat prior? an ut innueret Superiores magis esse apud Deum reprehensibiles, si peccent. Ita B. Dionys. Carthuf. in Genes. Vocavit, inquit, Deus magis Adam, quam Evam, quoniam principaliter fuit ad insinuandum, quod Superiores dum peccant, specialiter fiant reprehensibiles apud Deum. Quam sit periculosum ceteris præesse, in alios tenere imperium, ex Christi fuga, cum eum vellent Regem constituere, ita colligebat B. Laurent. Justinianus lib. de regimine Prælat. c. 1. *Humilitatis magister, & forma, Dominus videlicet Jesus, sciens humanam infirmitatem ignorantia caligine obvolvutam semper alta cupere, & potius præesse, quam subesse ambire, servis suis, ac fidelibus universis indicavit, quam periculosum sit Principum regimen, quamque Prælatorum onus grave; nam irruentibus turbis, & ut ipsum sibi in Regem præficerent ad se venientibus, delitescendo fugit, seque ab eorum aspectibus occultavit, non quidem ut honoris Magistratum formidaret, sed ut in illo discerent ceteri quanta sit in prælatione anxietas, quam laboriosum pondus, quantumve periculum manifestum.**

Non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines benè vivendo præire, ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quæ & ressecare debuit, ipse committat. Imò locus regiminis cum regendus offertur, in se prius necesse est, ut quisque discutiat, si loco vita congruat, si ab onere actio non dissentiat, ne justus omnium rector, ejus post in tribulatione preces non audiat, qui ipsa quoque ejus, de quo tribulatio oritur, exordia honoris ignorat. Pastor ergo debet ille fieri, qui cunctis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat

desiderat: cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus: qui ad aliena capienda non ducitur, sed propria largitur: qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur; sed nunquam pliusquam decet ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur: qui nulla illicita perpetrat, sed ab aliis perpetrata, ut propria deplorat: qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi, sicut in suis profectibus lætatur: qui se ita imitabilem cæteris in cunctis, quæ agit, insinuat, ut inter eos non habeat, quod saltem de transactis mens erubescat: qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda audentia doctrinæ valeat fluentis irrigare: qui orationis usu & experimento jam didicit, quod obtinere à Domino, quæ poposcerit, possit.

7 Audi Prælate illud Brunonis in Exod. super verba illa, Superhumeralis, &c. ubi ait: *Respice Episcopo ad omnes, quod portas, respice ad superhumeralis. Vides ibi aurum, da operam & studium sapientia. Vides ibi hyacinthum, intueri cælum, & contemplare Deum. Vides ibi purpuram, serua iustitiam. Vides ibi coccum bis tinctum, tingat te, si necesse fuerit, pro Dei & proximi dilectione sanguis martyrii. Vides ibi byssum retortam, carnem doma, macera, & affige, ut & spiritui seruiat, semperque candidior, & mundior fiat: sit autem superhumeralis opere polymito, multisque coloribus variato, quatenus in pulchritudine exteriori, qualis interiori esse debeat, facilius Episcopus intelligere valeat.*

8 *Heu me* (exclamabat quidam Sanctus Præsul) quia nondum excitatus à somno terrenarum affectionum cum Samuele, neque cælesti carbone purgatus cum Esaia, neque lingua à Deo tactus cum Equitio Monacho (de quo refert Gregor. in dialog. lib. 4. cap. 4. p. 4. quod sensit sibi à Deo tentari linguam, ut se deinceps non posset continere) cum nihil horum haberem, in magistrum populorum datus sum. Prævi, ait Gregor. non curant respicere meliores, quos imitentur, & quorum comparatione nihil sunt: sed peiores, quorum comparatione aliquid sibi esse videntur.

9 Irreprehensibilem esse Episcopum requirit Apostolus, ut hoc uno sermone, teste S. Hieronym. epist. 83, ad Oceanum, cap. 4. virtutes omnes comprehenderet, & in hoc penè rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum, etiam in verbo otioso reprehensione dignum est, quis est qui absque peccato versetur in hoc mundo? Unde S. Hieronym. lib. 1. adversus Pelagium, cap. 8. *Primum quod dixit, irreprehensibilis, aut nullus, aut rarus; quis est enim, qui non, quasi in pulchro corpore, aut nevum, aut verrucam habeat?* S. Chrysostr. homil. 10. in 1. Timothei, ibi, *irreprehensibilem. Hoc unico verbo, ait, genus omne virtutis expressit.* Itaque qui sibi vel levis culpæ conscius est, malè profectò facit eam rem appetens, qua indignum se per opera fecit. Non enim decet ejusmodi regere, sed potius regi. Eum quippe qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar Solis cæteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret. Debet hujusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, ut in illum omnes, & in ejus vitam, velut in exemplar aliquod excellens intueantur. Non idèò absque ratione Apostolus hujusmodi monitis utitur, quia par erat plurimos ejus rei desiderio allici, idcirco illum tanta diligentia pingit, ut qui se ad eam rem præparare vellent, ad quantam virtutis celsitudinem sibi evadendum esset, agnoscerent.

10 Unde Plutarchus lib. de doctrina Principum. *Sunt Principes, inquit, tam sacri, quam profani instar lucen- tium gemmarum; atque adèò si quis in illis nevus apparet, detractioni patet, & calumnia.* Et Clemens lib. 2. Constit. c. 1. *O Episcopo, stude munditia operum excellere, cognoscens locum, & dignitatem tuam, tanquam locum Dei obtinens, eo quod præes omnibus, Dominis, Sacer-*

dotibus, Regibus, Principibus, Patribus, Filiis, Magistris, atque subditis simul omnibus.

Idèò virtutum omnium absolutionem ab Episcopis Apostolorum successoribus jure suo postulat Salvator noster Matth. 5. *Vos estis Sal terræ, ut sicut Sal insipidis saporem rebus dat, easque ne corrumpantur, conservat; ita & vos insulsos homines sapientia, & virtute conditiis docendo veritatem, & exemplo bonis in moribus confirmando. Ibid. Vos estis lux mundi, ut eum doctrina, & probitate vestra illustretis.* Deinde, *Non potest civitas abscondi supra montem posita, cui scilicet vos similes estis. Itaque neque latebras sceleribus quærere potestis, neque ut veritatem non doceatis, vos abscondere, & occultare. Postremò: Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super Candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Accendi vos oportet ut lucernas, non ut lateatis, sed doctrina, & sanctitate luceatis.

Constat ita esse naturam comparatum, ut omne agens agat sibi simile; homo enim generat hominem, equus equum, & ignis ignem, quod non solum in iis, quæ à natura, sed in iis etiam, quæ ab arte efficiuntur, videre est; pictor enim esse debet, qui alium pictorem faciat, & Philosophus, qui Philosophum, & musicus, qui musicum: quisquis ergo alios sanctos efficere debet, sanctissimus ut sit necesse est, cum nemo aliis dare possit, quod ipse non habeat. Neque vulgari aliqua, sed eximia atque excellenti sanctitate opus est, ut alios tui similes efficias. Semper enim effectus in causa sua eminentior, atque fortior est: ut fulgor ipse syderum, qui à sole dimanat, longè splendidior in ipso sole, quam in astris est. Ergo maxima sanctitate fulgere debet is, qui velut Sol quidam sanctitatis, in omnes alios tanquam sydera quædam sanctitatis suæ radios emittere debet, quique tanta fulgeat sanctitate, ut de ejus plenitudine omnes accipiant. Unde cum in lege veteri Num. 19. Dominus aquas expiationis, & cineres vaccæ rufæ ad purificationem hominum designasset, munus tamen hoc mundis hominibus commisit: ut sic mundus lustraret immundum, & ita demùm emundaretur. Vides ergo quomodò mundum esse oportet, qui aliorum sordes debeat expiare. Rectè enim Ecclesiastic. c. 24. ait: *Ab immundo quis mundabitur? Cui simile est illud Gregor. mor. lib. 7. † Manus sordida aliam non lavat, & oculus plenus pulvere, maculam non considerat; ita mundus debet esse, qui vult aliena corrigere.* Nihil enim est, vel ad perniciem Ecclesiæ nocentius, vel ad decorem monstruosius, vel ad publicam salutem infensius, quam si is, qui omnes dignitate præit, moribus, & vita subsit. Quam quidem indignitatem appositis verbis D. Bernardus ad Eugenium testatur hoc modo: *Monstruosa, inquit, res est gradus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus gravis, & actus levis: caput canum, & cor vanum: facies rugosa, & lingua nugosa: ingens auctoritas, & nutans stabilitas.*

Sanctitas Episcopi præsertim consistit in charitate, quia ubi charitas est, ibi & sanctitas omnis, ac vitæ puritas est, adèò ut quantum quisque habeat charitatis, tantundem habeat & virtutis. Ait enim Bernard. super Cant. *Quantitas uniuscujusque anima aestimatur ex mensura charitatis, quam habet, ut verbi gratia, qua multum charitatis habeat, magna sit; qua parum, parva; qua verò nullam, nihil omnino sit, dicente nostro Apost. 1. ad Cor. 23. Si charitatem non habuero, nihil sum: quod manifestè patet in Evangelio Joan. 21. Volens enim Dominus constituere Petrum Vicarium, prius interrogavit eum ter: Diligis me? & deinde ei dixit: Pasce oves meas, & Chrysostr. de Sacerdot. lib. 1. inquit, *Certè Christus prodigiis, & miraculis posthabitis, quæ ab Apostolis edenda essent, ostendit his verbis: In hoc cognoscant homines quod discipuli mei eritis, si charitatem inter vos mutuam habueritis.* Joan. 13.*

15 Ille, inquit Gregor. in pastor. lib. 1. c. 10. & 11. modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola aeterna concupiscit, cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam spiritus repugnat. Ille nihilominus ad dignitatem pastoralis officii debet provehi, qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur, qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed non plus, quam decet, ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis, ut propria deplorat. Qui ex affectu cordis aliena infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi, sicut in suis profectibus latetur. Ad dignitatem Pontificalis excellentiae recte pervenit, qui ita se imitabilem ceteris in cunctis quae agit, insinuat, ut inter eos non habeat, quod saltem de transactis erubescat. Qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda avertentia doctrina valeat fluentis rigare. Qui orationis usui experimento jam didicit, quod obtinere a Domino, quae poposcerit, possit, &c. Qua mente apud Dominum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiae esse per vita meritum nescit? aut ab eo quomodo aliis veniam postulat, utrum sibi sit placatus ignorans? Qua in re est adhuc aliud sollicitius formidandum, ne quis placare iram posse creditur, hanc ipse ex reatu proprio mereatur. Cuncti liquido novimus, quia cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Qui ergo adhuc desideris terrenis astringitur, caveat ne districti iram iudicis gravius accendens, dum loco delectatur gloria, fiat subditis auctor ruinae. Solerter ergo quisque metiatur, ne locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat; ne is quem crimen depravat proprium, intercessor fieri audeat pro culpis aliorum.

Prodat igitur ita se publice Episcopus, ut quaecumque populo inciderint, sive sint res jucundae, aut adversae, sive laetae, aut tristes, seu morbi, lues publica, persecutio, damna vel rei familiaris, vel honoris, ac status, aliique humanae vitae casus, & denique quicquid grave contigerit, de quo dubitari possit, quae ratio incunda, quaeve cautio adhibenda sit, tunc unusquisque possit in Praesulem suum oculos conjicere, ab eoque veram in omnibus petere disciplinam, rectamque rerum gerendarum rationem; ob id enim docet noster Apost. 1. ad Timoth. 4. his verbis: *Esto exemplum fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in Fide, in castitate*: & S. Petrus 1. cap. 5. *Forma facti gregis ex animo*. Jejunia aliis qui indicit, defungi illis ipsemet debet; qui vult alios largiri pauperibus, vult celebrari Missas, injurias condonari, vitari ignaviam, & murmurationem, leges vetantes luxum servari, ipse praere debet, ipse idem juris in se, familiamque suam statuere, exemplo denique suo praeccepta omnia sancire, & confirmare. Ex his intelligi potest, oportere ipsummet, cujus est praecipere populis opera bona, atque a malis & pravis illos revocare, harum omnium actionum quasi curriculo esse perfunctum, ut ordinis locique sui muneri respondeat, quod admonet D. Hieron. ad Nepotianum epist. 2. his verbis: *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet intra se dicere possit, Cur ergo haec, quae dicis, ipse non facis? delicatus magister est, qui pleno ventre disputat de jejuniis*. Et idem ad Secundum: *Ignominia, & confusio est Jesum crucifixum, pauperem, & esurientem factis predicare corporibus, & jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre*.

16 Exemplar probitatis suae (ut supra dicebam) Episcopus praebere debet, quia homines, ut inquit Lactantius loco supra relato, malunt potius exempla, quam verba; quia loqui facile est, praestare vero difficile; quantoque alterum altero difficilius est, tanto utilius, atque praestantius. Unde gravissimè, & prudentissimè Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

Senec. dicit: *Eum elige Doctorem, quem magis admiraris cum videris, quam cum audieris*. Talis ergo debet esse Episcopi vita, quam D. Hieronym. depinxit his verbis: *Ea debet esse conversatio, & eruditio Pontificis, ut omnes motus, & gressus, & universa ejus opera notabilia sint. Veritatem mente concipiat, & eam toto habitu resonet, & ornatu: ut quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina sit populorum*. Virtutis enim species pulcherrima est, & quae ipsa per se homines non solum ad amorem, sed etiam ad imitationem sui trahat. Finis igitur Episcopalis administrationis alius non est, quam commissos populos doctrina, & exemplo ad Deum dirigere, atque Moysis exemplo e tenebris Aegypti, idest hujus saeculi caligine eripere, ut ad caelestem promissionis terram traducantur. Unde bene D. Ephr. tom. 1. tract. de vita spirituali, cap. 37. *Nihil, inquit, aequè animi hominis ducit ad salutem, junioresque ad laborandum incendit, quam si doctorem re ipsa, & exemplo ad virtutem cohortatorem invenerint*.

Hinc D. Cyprianus Cornelium Pontificem laudat, quod exemplo suo populum sibi subjectum ad Fidei confessionem incitaverit. *Cum procedis, inquit, ad gloriam, multos feceris gloriae comites, & confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri*.

Hinc etiam dicitur in cap. 1. Concil. Trident. de reform. sess. 22. *Nihil est quod magis ad pietatem, & Deum cultum assidue instruat, quam superiorum vita, & exemplum, &c. aded ut non alia brevior, non efficacior via ad populi mores corrigendos sit, quam probi Principis vita, sicut nullius pestilentiae neque citius corripiat, neque latius serpat contagium, quam improbi*. Sic etiam S. Isidor. relatus in cap. 1. 21. dist. ait, quod Episcopi dicantur Pontifices, & viam sequantur, eo quod viatoribus Christianis verbo & exemplo partem faciunt, viamque sternunt salutis. Germon. de sacror. immunit. lib. 3. cap. 8. & quae Episcopus aliis praecipit, debet prius in se ipso exequi; nam vulgatum est illud, *patere legem, quam ipse tuleris, c. cum omnes, de constitut.* Et de S. Ludovico Episcopo Tholosano scribitur, exemplum addebat imperio; quod Principes faciunt, praecipere videntur: volebat suos ille castos, ipse erat: legem tulit, ipse paruit. Recta facere Princeps suos faciendo docet. Henric. Sedul. in ejus vita cap. 14. Et rectè Claudianus:

*In commune jubes, si quid, censeve tenendum,
Primus jussa subi, tunc observantior aequi
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi.*

Episcopus sicut vitae suae integritate alios ad virtutis studium provocare debet, ita etiam Sacerdotes, ut dicit S. Gregor. lib. 7. registri, epistol. 107. his verbis: *Cum Sacerdotalis dignitas aliis videatur dignitatibus eminere, ita ut quisquis ea ornatus est, cunctis se imitandum debeat ostendere, ut exemplo sui nulli nocere, sed vitam potius valeat componere subditorum*. Nam satis noxium, atque perniciosum est, ut imitatione ipsius, quae aedificari debuerant, destruantur. Sacerdotis est, ait Venerab. Beda cap. 8. super Esdras, sua opera sanctificatione speciali praeter ceteris digna facere, atque insigniter agere, ut quicumque sibi junguntur, nomen Domini in seipsis bene vivendo sanctificent. Quod & eximie docet S. Joan. Chrysostr. lib. 3. de Sacerdotio. *Sacerdotis animi pulchritudinem splendescere oportet, ut oblectare pariter, & illuminare possit illorum animos, qui suos in illum oculos conjiciunt. Nam vulgare hominum delicta velut in tenebris commissa auctores suos solos perdunt: ceterum hominis illustris, ac vulgo cogniti delictum commune omnibus damnatum affert, & parva ejus peccata aliis magna videntur: neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur*. Eleganter id docet S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 50.

64 De officio, & potestate Episcopi,

Decet actuum, operumque nostrorum testem esse publicam existimationem, & attestationem, ne derogetur muneri: ut qui videt ministrum Altaris congruis ornatu virtutibus, auctorem predicet, Dominum veneretur, qui tales servulos habeat: laus enim Domini ubi munda possessio, & innocens familia disciplina. Et S. Chryst. homil. 10. operis imperfecti in Matth. Propter bonam, inquit, conversationem suam Sacerdotes sunt sal, quoniam bona conversatio Sacerdotum, conditura populi est. Propter verbum autem doctrina lux, quoniam verbum ignorantia lumen est. Prius autem vocavit eos sal, postea autem lux, aut quia prioris loci est servare quos habes, secundi autem vocare quos non habes; aut quia prius est bene vivere, secundo autem bene docere.

20 Hæ Sanctorum Patrum auctoritates licet de Sacerdotibus tantum loqui videantur, & Apostolus de Episcopo tractans nullam in præsentis Presbyteri mentionem facere videatur; tamen uno Episcopi nomine utrumque Sacerdotem, majorem, & minorem, Antistitem, & Presbyterum complectitur, ac proinde ambobus eadem probitatis, & sanctimonie documenta constituit; hoc ipsum super hunc Apostoli locum 1. ad Timoth. cap. 3. docet Divus Hieronymus his verbis: *Queritur cur de Presbyteris nullam fecerit mentionem, sed eos in Episcoporum nomine comprehenderit? quia secundus, imò penè unus est gradus. Et S. Joan. Chrystom. homil. 11. in priorem Timothei: Postquam, ait, de Episcopis dixit, eosque formavit, quidnam illos habere conveniat, à quo item abstinere necesse sit dictans, omisso interim Presbyterorum Ordine, ad Diaconos transit. Cur id quæso? quia scilicet inter Episcopum, atque Presbyterum interest ferè nihil. Quippe & Presbyteris Ecclesie cura permessa est, & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt; sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc habent plus, quàm Presbyteri habere videntur.* Consentit & Ambrosio adscriptus in eundem locum commentarius. Post Episcopum, ait, Diaconi Ordinem subjicit. Quare? nisi quia Episcopi, & Presbyteri una ordinatio est. Uterque enim Sacerdos est; sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus. Hæc Apostoli monita, & decreta licet quoad obligationem, & munera Episcopis, & Presbyteris communia esse non diffiteamur, Episcopatum tamen Ordinis, potestatis, jurisdictionis, ac dignitatis gradu Sacerdotio antecellere, verum agnoscimus, ut de Fide definit Concil. Trid. sess. 23. can. 7. & docent S. Dionys. cap. 4. Eccles. Hierarch. Anaclet. epist. 2. August. in Psal. 14. Leo epist. 88. Beda in cap. 10. Luca. Isidor. lib. 2. de divinis Offic. quatenus docent, Episcopos tenere locum Apostolorum, Presbyteros verò septuaginta discipulorum.

21 Quemadmodum bonorum nos pastorum exempla tam potenter ad virtutem alliciunt, ita contra malorum longè potentius ad malum trahunt: natura enim nostra (ubi per peccatum lapsa est) plus ad vitia, quàm ad virtutes proclivior existit. Nihil enim, ait quidam, tam facile discimus, quàm turpitudinem, & nihil tam difficile dediscimus. Ideoque, ut Gregor. in Pastoralis ait, nemo in Ecclesia magis nocet, quàm qui perversè vivens, nomen, aut gradum sanctitatis tenet. Nam ex mala, & improba Prælatorum vita sæpe hæreses ortas esse tradit Alphons. de Castro de justa hæreticorum punit. lib. 3. c. 5. sicut è contra ex eorum sanctitate & probitate fit ut Princeps & populus Deum colant, & in christianis virtutibus proficiant. Hinc Augustin. lib. de Pastor. *Omnis qui malè vivit in conspectu eorum, quibus præpositus est, quantum in ipso est, occidit: & fortè qui imitatur, vivit: tamen quantum ad illum pertinet, ambos occidit.* Marcus etiam Tullius lib. 3. de legibus, eadem de Principe sæculari dicit, quæ ad Ecclesie Principes non minùs perti-

nent: nec solum, inquit, vitia concipiunt ipsi Principes, sed ea infundunt in civitatem: neque obsunt solum, quòd ipsi corrumpuntur; sed etiam quòd corrumpant: † plus exemplo, quàm peccato nocent. Facit illud Claudiani,

Totus componitur Orbis

*Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.*

Et illud Platonis, *Quales in Rep. Principes, tales reliquos solere esse cives.* Qui superior dignitate aliis est, debet esse & vitæ, ne infra illos manibus sit, supra quos est officio. Rex comparatione privati hominis est velut exemplar & regula, ad cuius vitæ, & operum normam se subditi componunt, & conformant, & velut umbra corpus, sequuntur, ab ipso corpore motum, figuramque habentes: itaque si probus sit Rex, multos habebit imitatores; habebit quoque, si malus: *nam facile facit inferior,* inquit Ambros. in cap. 1. epist. ad Romanos, *quod fieri viderit à potiore.* Altè inclamat imperantis vita, imperantis verbum moribus animatum. B. Thomæ à Villanova hæc sunt verba in concione in Dom. 18. post Pentecost. *O magnus Prædicator Rex, plus proficit verbo & exemplo, quàm omnes mundi Prædicatores.* Vuldramus ad Salomonem Episcopum scribens, ait: *Talis erit populus, qualem te viderit esse.* Labitur cum labente Principe populus, qui cum stante stare solet. Præclare Egesippus lib. 2. excid. Hierosol. c. 5. *Sicuti boni Principis vita probitatis quedam præscriptio, & per universos vivendi forma est: ita Imperatoris colluvio, lex flagitiorum est.* Egregiè Basilii Imp. ad Leonem filium cap. 62. *Principis, inquit, innocentia & boni mores in multas ætates prætenduntur, & memoriam nominis eternam transmittunt ad posteros.* Scitè B. Laurentius Justinianus de casto connubio cap. 2. *Est qui præst quasi speculum quoddam, in quo incipientes vivendi formam accipiunt.*

Vita enim Principis (dicit Plinius in paneg. Traiani) censura est, ad quam dirigimur, ad quam convertimur: 23 quia, ut idem inquit, *non tam imperio opus est, quàm exemplo. Unde necesse est, dicit D. Gregor. lib. 24. moral. c. 30. ut is qui præst, quæ exempla subditis præbeat, solerter attendat, & tantis se sciat vivere, quantis præst.* Oportet Principem, dicit Pittacus, *moribus imperium docere. Et quicquid Principes faciunt, dicit Quintil. decl. 9. præcipere videntur. Vita splendor, & claritas,* ait S. Basil. in Psalm. 1. *plerosque eorum, qui proni & lubrici sunt ad peccandum, ad consimilem emulationem invitat.* Sicut enim bona Principis vita, scripsit Egesipp. lib. 2. de excid. Hierosolym. cap. 5. *probitatis quedam præscriptio, & per universos forma vivendi est, ita Imperatoris colluvio lex flagitiorum est.* Studiosè plerique, ait Cicero lib. 1. de offic. *facta Principum imitantur.* A capite, ait Seneca lib. 2. de clem. cap. 2. *bona valetudo.* Nam, ut dicit S. Gregor. lib. 24. moral. c. 10. *Non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo prævenire. Nihil enim magis est, quod ad pietatem, & Dei cultum alios assidue instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt.* Conc. sess. 22. de reform. c. 1. Unde Jesus Dominus noster cæpit primùm facere, & postea docere, Act. 1. & Apost. ad Hebr. c. 9. *Si ipsi filii ejus sumus, quæ ipse facit, imitari debemus, c. Dominus, in fine, 56. dist. ut cæteri humilitatis, & virtutis exempla petere possint, nihil permittendo, quod à sancto instituto sit alienum.* Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 1. *respicendo etiam ad exempla, ut à nobis sequantur, ex illo Ezech. cap. 47. abstinendo in factis & dictis non solum ab omni malo, sed ab omni, quod speciem habet mali, id enim specialiter vitare debent viri perfecti, ut dicit text. in Clem. exivit è Paradiso, §. cum annuis, de verb. signific. Cum ipsorum sit proprium facere, exemplisque monstrare: non more Phariseorum, qui alligant onera gravia, imponentes ea humeris hominum,*

num, sed digito suo nolunt ea movere, *Matth. 23.* & S. Bernard. *in festo omnium Sanctorum, serm. 1. Memento voci tua dare vocem virtutis, ut opera verbis concinant, & verba operibus: & ut cures primum facere, quam docere: namque pulcherrimus est ordo, & saluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, tu prior portes, & ex te discas qualiter oporteat alios moderari, ut sic oves commissas arguere possis, c. 2. 25. dist. quia (ut dicit Gregor. *lib. 23. moral. §. 36. relatus in c. hoc habet proprium, 46. dist.*) doctrina tanto vehementius elationis fugit vitium per cognitionem, quanto ardentius suorum verborum jaculis magistrum sequitur elationis. Prælatus igitur, ut dicit Gregor. *in suo Pastoralis, plus occidit exemplo, quam gladio. Panuin. de visitat. part. 1. quest. 9. num. 29. v. r. f. & dicit. Et plus peccant exemplo, quam culpa. Joan. Lecirier in tract. de primogen. lib. 1. quest. 9. quia ipsorum factum de facili trahitur in exemplum à subditis, v. migne, de voto, juxta illud Ecclesiast. 10. secundum iudicem populi, sic & ministri ejus, & qualis rector civitatis est, tales inhabitantes in ea, c. præcipue, 1. quest. 3. & ideo subditorum errata Prælati imputantur, c. quicquid, 2. quest. 1. c. irrefragabili, de offic. Ordin. Quomodo enim Præses Ecclesiæ potest auferre malum de medio ejus; qui in delicto simili corruerit, aut qua libertate corripere peccantem potest cum tacitus sibi ipse respondeat, eadem admisisse, quæ corripit, c. ut. 25. dist. Nullum, inquit B. Gregor. *homil. 17. in Evangel. puto Fratres charissimi ab aliis majus præjudicium, quam à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccavimus, qui compescere peccata debuimus.***

24 Prælatus peccans, ut dicit Gregor. *part. 3. adm. tot moribus dignus est, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittit. Unde tanto cautius debet se à peccato custodire, quanto peccando non solus tantum moritur, sed omnium animarum, quas pravis exemplis destruit, reus est: & S. Chrysostr. *lib. 6. post med. de Sacerdot. peccatum illius, qui aliorum curæ præfectus est, pestilentissimum esse scribit, & quidam modernus ait; non ita atramento infici pannum, aut lanam, sicuti illius culpa in alios pervadit, qui illius fidei crediti sunt.**

25 Sunt nonnulli, ut ait Greg. *lib. 1. Pastor. cap. 2. qui solerti cura spiritualia præcepta perferunt, sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant: repente docent, quæ non opere, sed meditatione didicerunt, & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Unde fit ut cum Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. Hinc namque per Prophetam Ezech. c. 34. Dominus contra contemptibilem Pastorum scientiam queritur, dicens: Cum ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis; & oves, quæ conculeata pedibus vestris fuerant, pascebantur, & quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. Aquam limpidissimam Pastores bibunt, cum fluente veritatis recte intelligentes, hauriunt: sed eandem aquam pedibus perturbare, est sanctæ meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet Pastorum turbatam pedibus oves bibunt, cum subjecti quique non sectantur verba quæ audiunt, sed sola quæ conspiciunt exempla pravitatis imitantur. Qui cum dicta sicuti, & per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. Nemo amplius nocet in Ecclesia, quam qui perversè agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpæ tanto vehementer extenditur, quanto pro reverentia ordinis peccator honoratur. Qui ergo ad Sanctitatis speciem deductus, vel verbo cæteros destruit, vel exemplo, melius profectus fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpis cæteris imitabilem demonstrarent, &c.*

Aug. Barbosa de Episcop. Pars I:

Idem Gregor. apud Gregor. VII. *lib. 8. epist. 34. 26 ante finem, sic ait: Malis subesse Pastoribus quæ aliud est, nisi ut plebs postulanda prædonibus permaneat, & inde sumat interitum, unde protectionis debuit habere subsidium? Sacerdotes enim mali causa sunt ruine populi. Contra quos Isid. de summo bono c. 36. in hæc verba: Plerique Sacerdotes, & Clerici prave viventes, forma cæteris in malum existunt, qui in bonis exemplum esse debuerant. Hi enim quoscumque exemplo mala conversationis suæ perdunt, de illis rationem sine dubio reddituri sunt. Eo carnalium præpositorum exemplo plerumque fit vita deterior subditorum, & plebis merito sunt tales Sacerdotes, qui exemplo deteriore populum destruant, non edificent: ex merito enim plebis nonnunquam Episcopi depravantur, quatenus proclivius corruant qui sequuntur, capite languescente, cætera corporis membra inficiuntur. Unde & scriptum est Esai. 1. Omne caput languidum, & omne cor mærens, à planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas. Caput enim languidum, doctor est agens peccatum, cujus malum ad corpus pervenit, dum eo vel peccante, vel prave docente, pestifer languor ad plebes subditas transit. Deteriores sunt, qui sive doctrinis, sive exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt, quam qui substantias aliorum, prædiciaque diripiunt. Grandis, inquit Hieronymus. *in c. 44. Ezech. dignitas Sacerdotis, sed grandis ruina si peccet: letamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum; non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quam mæroris de sublimibus corruisse. Nec enim solum pro delictis nostris reddemus rationem; sed pro omnibus quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute solliciti.**

Porro cum Princeps id sit Reip. quod oculus corpori, quod intellectus animæ, Heet. Pin. *in Ezech. 38. Chrysostr. in Matth. homil. 21. eum sicuti si nitidus fuerit, subditorum corpus illustrare, sic & si sordidus, obumbrare totum est necesse; fermenti instar, quod quamvis modicum, totam inficit massam; Apost. 1. ad Corinth. 5. & ad Galat. 5. Sicut igitur oculo cæco, sicut intellectu obfuscat, neque corpus videt, neque animam intelligit: sic & Principe corrupto, Reip. nulla salus. Nam si lumen, quo clarificatur, tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ erunt? Certum est enim delinquente Principe, populum effici delinquentem, delicto tamen longè graviore solius ipsius, quam populi universi existimando.*

Quid sunt Episcopi, quærit Gregor. *ad Episcopum 28 Constantinopol. nisi astra cæli, quorum vita simul & lingua inter peccata, erroresque hominum, quasi inter noctis tenebras lucent. Hinc Bernardus epist. 127. ad Guillelmum Comitem, ita dicit: Si quis de populo deviat, solus perit, error Prælati multos involvit, & tantis obest, quantis præest. Quocirca tot moribus dignus est judicandus improbus Princeps, quot subditos ad perditionis exempla transmittit, sicuti & tot gloriæ coronis probus, quot edificationis. Gregor. in Pastor. p. 3. c. 1. ad mon. 5. relatus in c. præcipue, 11. quest. 3. Quod autem quot subditos habet, tot interemit; tot enim spirituum singulis exemplis est homicida, quot præest: quot interitibus interimendus, cogita.*

Ex dictis opportunè quæri potest, an ad officium pastorale dignus eligi possit, an digniorem eligere timeamus? Ad cujus quæstionis decisionem præmittendum est cum Rebello *de obligat. justit. part. 1. lib. 3. quest. 2. num. 1. quem refert Campan. in diversorio juris Canonici rubr. 7. cap. 6. num. 73. quod dignus vocatur quicumque habens sufficientiam, & omnes partes ad prædicta munera, prout oportet; ministranda, licet comparatione alterius majorem sufficientiam habentis (qui hoc casu dicitur dignior) utiliusque administratur; minus dignus existat. Quo supposito, relictis multis, quæ ad hoc propositum adducunt ex fonte sacre Scripturæ, & ex Lege naturali Alexand. Rauden. *Pisana decis. 34. in princ. & à num. 179. Rebell. dist.**

dict. lib. 3. quest. 4. videtur dicendum, quod quamvis alicui negotio praefectum eligere debens satis officio suo functus esse videatur, si dignum hominem pro negotii conditione praefecerit, ad Episcopale tamen officium, cum reliqua omnia longè superet, non modò dignum, sed etiam dignissimum esse destinandum, & maximis rationibus comprobari, & sacrarum literarum apertissimis testimoniis demonstrari satis potest. Sed lectorem remitto ad Homobon. de statib. humana vite, p. 1. c. 5. Campan. divers. Juris Canon. rubr. 6. cap. 3. à n. 32. Stephan. Gratian. discept. forens. c. 21 r. n. 10. 20. & 31. cum seqq. Velasq. de privileg. pauperum p. 1. c. 7. num. 2. novissimè Mich. Ferr. de precedent. Eccles. q. 25. à n. 4.

30 Trina illa Domini Salvatoris interrogatio, Joan. 21. abundè sanè nostrum probat institutum, qua non quidem simpliciter, sed per comparisonem cautè, & vigilantè interrogat: Simon Joannis, diligis me plus his? hac enim prima Pastoris Ecclesiastici electione formam ceteris praescribere volens, non simpliciter interrogat, Diligis me? sed, Diligis me plus his? ut videlicet non pari virtute, & charitate fulgentem, sed ceteros antecellentem ad tantum hoc munus diligendum esse declaret. Natura enim ipsa dictare videtur, ut qui aliis officio, ac dignitate praeferi debet, ceteros vitae splendore anteciat, quemadmodum Pastor grege suo praestantior, & dux milite suo fortior, & Rex subditis suis debet esse sublimior. Qui ergo majorem in Pastore, quam in ovibus charitatem ante electionem requisivit, apertè docuit digniorem sanctiorèmq; subditis esse debere, qui eis regendis, atque dirigendis praeficeretur. Quomodo enim, ut D. Ambrosius ait, credam eum consilio superiorem, quem videam moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me committere paro; cujus rei cum multa quidem, & praecleara exempla adduci possint, nullum tamen aut majus, aut illustrius est, quam ipsius Dei Opt. Max. qui cum Ecclesiae suae providere Pontificem, & Pastorem voluisset, eum elegit, quo neque in caelo, neque in terra ullus erat dignior; nempe unicum filium suum, quem non modò auctorem salutis nostrae, sed etiam Pontificem, Summumque Sacerdotem in mundum destinavit, cum tamen alios ad hoc ipsum delegare potuisset. Quod idem ipse Filius per Elaiam cap. 23. significavit, dicens: *Ego sum, Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*: ubi alius interpret evidentiùs vertit: *Ego, Ego, ille ipse sum, qui deleo*, &c. ut apertè intelligas, nulli alii medendi peccatis nostris curam creditam fuisse, quam ipsi unigenito Filio Dei. Si igitur Deus Pater tanti animarum nostrarum salutem fecit, ut cum Angelos, aut Archangelos, aut Sanctissimos Patres ad hoc destinare potuisset, omnibus his praetermissis, eum elegit, quo dignior esse, aut cogitari nemo potest; qua, quæso, fronte tu in Vicarium, & successorem Superni hujus Pontificis indigniorem eligas, cum possis eligere digniorem? Cur minoris facias, minusque charam ipse habeas salutem tuam, quam ille habuit, ad quem nihil salus tua pertinebat? Super Apostol. veritatem est quemquam inconsideratè, subito, temerè, sine diligenti vitæ, doctrinaeque exploratione ordinari; 1. ad Timoth. 5. ibi: *Manus cito nemini imposueris*. S. Chrysost. homil. 16. in 1. ad Timoth. ita dicit: *Quid sibi vult cito? Non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna praecessit, exactissime magne discussio, huic imposito manus. Neque enim ea res periculo caret, eorum enim, quæ ille peccaverit, tu quoque poenam dabis.*

41 Qua in re Concilium Trident. sess. 24. de reformat. cap. 1. eos peccare mortaliter, & peccatis alienis communicare asserit, qui digniores, & Ecclesiae magis utiles Pastores praeficere non curaverint, his verbis: *Si in quibuslibet Ecclesia gradibus providenter, scienterque*

terque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque praeposterum, multo magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiae Domini status, & ordo mutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Unde etiam aliàs Sancta Synodus de promovendis ad Cathedrales, & superiores Ecclesias nonnulla utiliter decrevit, hoc tamen munus hujusmodi esse censet, ut si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, ut cum primùm Ecclesia vacaverit, supplicationes, ac preces publicè, privatimque habeantur, atque à Capitulo per civitatem, & diocesim indicantur, quibus Clerus, populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare. Omnes verò, & singulos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque jus quacumque ratione à Sede Apostol. habent, aut aliquin operam suam praestant, nihil in iis praesenti temporum ratione innovando, hortatur & monet, ut in primis meminerint nihil se ad Dei gloriam, & populi salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant: eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint. Haec tenus Concilium. Et ad hoc propositum S. Hieron. in commentar. ad c. 1. epist. ad Tit. sic ait: *Moses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus loquutus est, potuit utique successores principatus filios suos facere, & potuit propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia Tribu eligitur Jesus, ut sciremus principatum in populos, non sanguini, aut humano affectui deserendum esse, sed vitae.*

Optimè S. Thom. 2. 2. quest. 185. art. 3. circa assumptionem alicujus ad Episcopatum, aliquid considerat ex parte ejus, qui assumitur, & aliquid ex parte illius, qui assumit. Ex parte enim ejus qui assumit vel eligendo, vel providendo, requirit quod digniorem eligat, & meliorem assumat, quoad regimen Ecclesiae, qui scilicet possit eam & instruere, & defendere, & pacificè gubernare. Unde contra quosdam S. Hieronym. dicit, quod quidem non quaerunt eos in Ecclesias columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiae prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel dediti, vel pro quibus majorum quippiam rogaverit, ut deteriora taceam, qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt. Ex parte verò ejus, qui assumitur, requiritur ut nulla vitiorum nota sit maculatus: gravius enim condemnabitur, qui indignus suscepit quod non meretur. Qui regimen Sacerdotis contendit appetere, ante in se discutiat si vita honori sit congrua: plerique Sacerdotes suae magis utilitatis causa, quam gregis praesesse desiderant. Quomodo autem vires suas periclitari, & expendere debeant, docet S. Gregor. in praefatione sui Pastoralis, dicens: *Cum rerum necessitas exposcit, praesandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat, atque ad hoc ritè perveniens, qualiter vivat; & bene vivens, qualiter doceat; & rectè docens infirmitatem suam quotidie quanta valet consideratione cognoscat: ne humilitas accessum fugiat, aut praeventioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut vitam praesumptio extollat.* Nunc verò ut profint, Praesules fieri non cupiunt, sed magis ut divites fiant, & honorentur; suscipiunt enim sublimitatis culmen non pro Pastoralis regimini, sed pro solius regimini, vel honoris ambitione, atque abjecto opere dignitatis, solam nominis superbè appetunt dignitatem. Hi ubi primùm cognoscuntur, rejiciendi; illi verò, qui antequam altissimum dignitatis gradum obtinerent, omnibus virtutibus praediti videbantur, & postea

postea in regimine alii apparent, non eligentis culpa imputari debet; quemadmodum enim agnoscere non potes sit, necne integrum vas, nisi illud liquore impleatur; sic nec hominem, nisi illi gubernandi munus fuerit commendatum.

33 Dubitari non abs re potest, an Cardinales peccato commaculentur, restitutioneque vinciantur, qui non impediunt nominatum, si alterum digniorem arbitrentur? Ad quod dubium perdocte quidem respondet Paleot. in tract. de Sac. Consist. consulti. p. 4. q. 1. vers. quo loco, & ait ad Cardinalitiam auctoritatem & officium non proprie pertinere aliquem ad Episcopatum admittere, sed tanquam Papae consiliarios non ulterius obligari, quam ut ad eas res, de quibus a Papa requirantur, & consuluntur, fidele praestent responsum, per text. in cap. fundamenta, §. decet, de elect. 6. itaque cum Pontifex in Episcoporum promotione non aliud ab ipsis Cardinalibus exquirat, quam iudicium, si propositum Episcopali dignitate dignum arbitrentur; ideo non ad aliud obligantur, quam ad interrogata respondere, illumque approbare, si ita credant: imò & Cardinales omnes tutam respondendi, ferendique suffragii sui rationem colligere posse addit ex testimoniis quatuor Cardinalium in publicam formam redactis, & ab eis subscriptis, quibus inquisitio committitur de promovendi qualitatibus.

vata est, quanto magis sub revelata jam gratia constituti Apostolicis debemus servare praecipis, ut quantumvis quis bonis moribus praeditus, & sanctis operibus inveniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad Diaconi gradum, vel ad Presbyterii honorem, vel ad Episcopatus culmen ascendat, si aut ipsum non unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuisse constiterit, ut ex Leone epist. 85. vel 87. c. 1. ad Episcopos Africanos, refert Anton. August. in epitom. juris Pontificii veteris, lib. 4. tit. 7. cap. 7. Et ideo Isidor. lib. 2. cap. 6. de Eccles. offic. asserit quod ut unius virginalis matrimonii sint, qui eliguntur ad Ordinem Pontificatus, Sacerdotem quaerit Ecclesia, aut de Monogamia ordinatum, aut de Virginitate sanctum. Nullo pacto, ait D. Hieronym. ad Oceanum, bigamos, vel concubinarios catenis insertos decet subire Sacerdotii ministerium. In Levitico 21. scriptum ac praefinitum est, quales eligi debeant Sacerdotes; si ergo clericus monogamus fuerit, & uxor ejus bigama, noli eum ad ministerium applicare. Haec Tito praecipia idem Apostolus de ordinandis clericis dedit.

Hinc etiam apud Ethnicos secundas nuptias aliquid habuisse culpa, testari videtur Sarius in illud Virgil.

Huic uni forsitan potui succumbere culpa.

Exponens culpam dici propter antiquum ritum, quo repellentur a Sacerdotio secundò nuptiae. Et Romae pudicitiae simulacrum colebatur, quod nefas erat attingi nisi ab ea, quae semel nupsisset.

Quomodo poterit esse hortator vidualis castitatis, & continentiae, qui conjugia frequentaverit? c. una, cap. fin. 26. dist. cum dicamus, quod habens filios non potest habere frontem alios de incontinentia redarguendi, c. sicut, vers. unde cum Paulus, 47. dist. Habebit igitur Episcopus, ut inquit Isidor. de Ecclesiast. offic. lib. 2. c. 6. † inter caetera virtutum ornamenta & castitatis eminentiam, ita ut mens Christi corpus confectura ab omni inquinamento carnis sit munda, & libera, quia dum secundum carnis assumptae mysterium Ecclesiae suae fuerit dignatus caput existere ipse Christus, merito in membris ejus intentio Episcoporum officia peragere cernitur oculorum. Ipsi enim de sublimioris celsitudine ordinis regunt, & disponunt subjectas multitudines plebium: unde quanto ipsi sequentium fiunt Doctores, tanto meritorum lumine debent praefulgere. Illa autem quae pertinent ad bigamiae species, ac illius materiam, plene tractavi alleg. 49.

Continentiam, & coelibatum scio non esse per se annexa Episcopatu, & multò minus inferioribus Ordinibus ex Divino, & naturali jure, sed tamen id fuisse ab Apostolorum temporibus in usu quantum ad Episcopos, qui si uxorati assumpti sunt, uxores postea solum ut sorores retinuerunt, suadent & persuadent antiqui Canones, & Sanctorum Patrum testimonia, ita ut Graecorum Ecclesia, licet inferiores Sacerdotes uxoratos retineat, nunquam tamen in Episcopis id passa sit, quos propterea Monachos semper habet. Quocirca laudabilis S. Ecclesia Latina æquissime, & conformiter ad Jus divinum legem tulit ab Apostolorum temporibus, & praxi notam, ut omnibus Sacris Ordinibus continentiae propositum annecteretur, etiamsi in Subdiaconis id tam antiquum, ut in reliquis non appareat. † Et adeò verum est nullo modo in Episcopum eligi conjugatum, ut non sufficiat ejus uxorem aetate provecctam, nec suspectam de incontinentia, castitatem in saeculo vovere, sed requiri ut ea simpliciter religionem profiteatur, propter Ordinis Episcopalis excellentiam, & ut auferatur occasio, ut Episcopus visitetur à foeminis. Ita Host. Calder. Anton. Abb. per text. ibi in cap. sane, de convers. conjug. Covar. de sponsal. p. 2. cap. 6. §. 3. num. 3. vers. in Episcopi, Majol. de irregul. lib. 1. cap. 34. n. 2. Petr. de Ledesm. de matrim. quest. 6. art. 4. dub. 5. concl. 6. Azor.

GLOS. IV.

Unius uxoris virum.

SUMMARIUM.

- 1 Rationes expenduntur quare bigamos ad Ecclesiasticos Ordines ascendere non conveniat.
- 2 Filios habens non potest habere frontem alios de incontinentia redarguendi.
- 3 Castitatis eminentiam inter omnia virtutum ornamenta debet Episcopus habere.
- 4 Continentia, & coelibatus non est per se de jure divino Sacris Ordinibus annexus.
- 5 Conjugatus nullo modo potest in Episcopum eligi, etiamsi ejus uxor aetate proveccta, nec suspecta de incontinentia, castitatem in saeculo voveat, sed requiritur ut ea simpliciter religionem profiteatur.
- 6 Filios habens an possit in Episcopum eligi, questio est dubia, pro parte affirmativa rationes expenduntur.
- 7 D. Petrus uxorem habuit, & ex ea filiam Petronillam.
- 8 Clemens IV. & Alexander VI. filias habuerunt.
- 9 Expenduntur rationes pro contraria opinione.
- 10 Amor paternus omnem alium vincit.
- 11 Eli ob suos filios in via Domini non ambulantes privatus fuit Sacerdotio.
- 12 Priorem sententiam sequimur, & contrariis fundamentis respondetur.

CUM bis conjugatus non possit aptè significare unionem Christi cum Ecclesia unica sua sponsa, quia non esset unicus, ex quo divisit carnem suam in plures, cap. acutus, 26. distinct. cap. debitum, & ibi glossa verbo Sacramentum, de bigamis; ideo noster Apostolus dicit ut is Episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuisse, aut esse constiterit: tam sacra semper habita est ista praecipio, ut etiam de muliere Sacerdotis eligendi eadem intelligeretur servanda conditio, ne fortè illa prius, quam in matrimonium ejus veniret, qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri esset experta conjugium. Si etenim in veteri Testamento Levit. 21. haec Sacerdotalium conjugiorum forma ser-

insit. moral. p. 1. lib. 13. cap. 13. quest. 7. prope fin. plures alios refert, & sequitur Sanch. de matrimon. lib. 7. disp. 41. num. 2. me citato in hoc loco, Alzed. de praelent. Episcop. dignit. p. 1. cap. 3. num. 74.

- 6 Unde, quia possibile fuit Episcopos nedum uxorem, sed etiam filios habere ante Episcopatum, quaestio hinc oritur non contemnenda, utrum filios habens possit in Episcopatum promoveri? Pro parte affirmativa est text. in cap. 1. de testam. ibi, *nam, cap. sint manifeste, vers. fortassis, 12. quest. 1. ubi gloss. verb. aut filios, cap. Episcopos qui filios, 12. quest. 2. noster Apostolus in praecitatis verbis, & in sequentibus, ibi, filios habentem: & refertur in cap. 1. in princip. 26. dist.*
- 7 † Idque plerisque constat exemplis, patet in Divo Petro, qui uxorem habuit, & ex ea filiam Petronillam.
- 8 † Clemens IV. tempore promotionis duas habuit filias ex uxore legitima, ut videre licet apud Platinam in ipsius vita, apud quem etiam in vita Alexand. VI. id ipsum legitur: & cum hac sententia transire Doctores communiter post Host. fatetur Abb. in dist. c. 1. n. 2. affirmat communem esse & usu receptam Navar. de spoliis clericorum §. 19. n. 2. ubi testatur se plures vidisse Episcopos, & alios Praelatos filios habentes, qui promoti fuerunt à Sede Apostolica, nulla facta de filiis mentione, neque aliqua super eo habita dispensatione.
- 9 Obstant tamen text. in cap. prius, 28. dist. ubi cavetur ne is, qui filiam habet, & à longo tempore incontinens fuit, ad Episcopatum eligatur: melior text. in cap. de Syracusana, 28. dist. qui habentem filios & uxorem ad Episcopatus Ordinem promoveri prohibet, cap. Catinensis, 61. dist. ibi, *qui nec uxorem habeat, neque filios: & ibi, neque crimen aliquod, Auth. de Sanctissimis Episcopis, in princip. collat. 9. ad quem se refert dist. cap. de Syracusana, ibi, principalis constitutio.* Deinde obstat, quod etsi nulla daretur prohibitio, in recto tamen gubernandi regimine satis inordinatum videtur, illos ad Episcopatum eligere, qui propter nimiam in filios affectionem, ut plurimum & cupiditate, & avaritia miserè detinentur: hi sunt Clerici, & Episcopi erga filios, & nepotes, *gloss. ult. in cap. pervenit, 1. quest. 3. Peret. ad Extravag. ambitiosa, de rebus Ecclesiae non alienandis, verb. ac de rebus, & bonis, num. 64. expendit Nav. dist. n. 2. † nam paternus amor omnem alium vincit, l. ult. C. de curatore furiosi, l. isti quidem, §. fin. ff. quod metus causa, notatur in cap. afferte, de praesumpt. Mex. in tract. taxa pan. conclus. 2. n. 58. cum seqq. Mascard. de probat. conclus. 590. n. 3. Cardin. Mantica. de tacitis, & ambiguis convent. tom. 2. lib. 21. tit. 10. num. 21. Flamin. de confident. q. 20. n. 44. Gutier. de tutel. p. 2. c. 8. n. 9.*
- 11 Unde multa mala parentibus obveniunt propter filiorum peccata, & laxatam vivendi normam, prout Eli ob suos filios in viis Domini non ambulantes privatus fuit Sacerdotio, 1. Reg. cap. 2. Inde etiam probabile resultat periculum, quod bona per uxorem, filios, nepotes, & ceteros temerè dissipabuntur, ut satis insinuat dist. cap. de Syracusana, ibi, *per quos Ecclesiastica solet periclitari substantia.* Ulterius offenditur finis praetensus à Concil. Trident. sess. 25. de reform. c. 1. in princip. & in Extravag. Pii V. adversus illegitimos, in princip. Ergo ne tot, ac tanta mala sequantur, omnino affirmandum est, nequaquam fore eligendos, eo maxime cum omninò oporteat, non solum ad inferiora beneficia, sed multò magis ad Episcopatus, juxta reg. cap. cum in cunctis 7. de elect. cap. grave 29. de praebendis. Propter quorum aliqua hanc partem contra communem sequuntur Innocent. in dist. cap. 1. de testam. & ibi Abb. n. 2. Nav. d. loco, ubi affirmat hanc partem esse magis consonam Juri; & idèò hodie attento Jure communi, tales non esse promovendos affirmat gloss. verb. parvulam, in dist. cap. priusquam.
- 12 Verùm licet hae ultima sententia probabilitate

non careat, priorem tamen, & communem Hostiensis opinionem etiam attento Jure communi, uti veriore sequimur. Ad primum enim ex dist. cap. prius, facile responderetur text. non agere de habente uxorem, sed de habente filiam, qui retro ante à longo tempore incontinens fuit, quod longè diversum est à castitate conjugali. Ad secundum ex dist. cap. de Syracusana, responderetur text. illum quoad intentum nihil de novo statuisse, sed retulisse se ad Imperialem Constitutionem, de qua in dist. Auth. in princip. quae in primis interdicere non potuit electionem ad Episcopatum, juxta reg. cap. Ecclesia Sanctae Mariae 10. de constit. cap. ult. de rebus Ecclesiae, cum similibus; deinde, si rectè advertas, Justinianus ibi absolute non prohibuit talium promotionem, sed solummodò quando promovendus uxorem habuit legibus interdictam, aut alio defectu laborantem, non verò si unicam, & primam, ut patet ibidem in vers. Sed etsi prius. Ad tertium ex dist. cap. Catinensis, cum gloss. pen. ibidem, text. procedere propter praesumptionem, quae est contra habentem filios, quod bona Ecclesiae dissipabit, & ut cesset labor faciendi inventarium, de quo in dist. cap. de Syracusana; & tandem, quia datis paribus terminis, ad bene esse, melius erit illum eligere, qui nullis occupationibus detinetur, & multò magis paratus est ad munus injunctum exequendum. Ad ultimum ex rationibus supra expensis responderetur, quod etsi rationes illae aliquo modo suadeant non oportere tales in Episcopos promoveri, non tamen concludunt prohibitionem aliquam dari attento Jure communi; fatemur equidem digniores, & dignissimos eligendos: affirmamus tamen, si omnia concurrant, dabilem esse aliquem ex his, qui aliquando dignior, aliquando dignissimus probabiliter reputetur.

GLOS. V.

Sobrium.

SUMMARIUM.

- 1 Parcitatis virtus pulcherrima est inter Episcoporum ornamenta.
- 2 Ventris ingluvies facile provocat ad luxuriam.
- 3 Sapientiam juvat sobrietas.
- 4 Salutem operatur moderata refectio.
- 5 Vires amittit cibo multo, aut potione distentus.
- 6 Podagra ob satietatem, ac aucta edulia hoc tempore nascuntur.
- 7 Convivia potatorum, & comestiones ab Ecclesiasticis fugienda.
- 8 Jejunii utilitates referuntur.
- 9 Jejunium neminem reddit debilem.
- 10 Dominus Salvator noster convivia adiit, ut exemplo suo alios temperantiam doceret.
- 11 Manducare, & bibere ad gloriam Dei, quando intelligatur.
- 12 Mensa Episcopi qualis esse debeat, & qua in illa esca sint adducenda? ostenditur.
- 13 Apostoli sub Christi disciplina sectati sunt victus tenuitatem.
- 14 Sanctus Augustinus quanti temperantiae studium habuerit, ostenditur.
- 15 Sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, nec morbo quidem afflictus, carnis, vel vini usum admisit.
- 16 Sanctus Amandus cum pane bordeaco, & aqua quindecim annos mansit ad sepulchrum Beati Marini.
- 17 Sanctus Joannes Chrysostomus, S. Basilius, S. Ambrosius, & S. Thomas Cantuariensis temperantiae studium coluere.
- 18 Eremita antiqui tenuissimo victu usi fuere.

I NTER Episcoporum ornamenta rectè collocatur pulcherrima illa parcitatis virtus, quia, ut ait S. Thom. 2.2. *quest. 189. art. 4.* Episcopis, & aliis Ecclesiæ ministris, qui mente devota debent spiritualibus officiis insistere, & Regibus, qui per sapientiam debent populum subditum gubernare, spiritualiter sobrietas indicenda est; nam ignominiosum est clericis affluere epulis, inter quas difficulter potest servari pudicitia, *c. Ecclesia, 35. dist.* † ventris enim ingluvies facilè provocat ad luxuriam, & omne opus bonum dissolvit, ut dicit D. Hieronym. *in epist. ad Amandum. Episcopi*, inquit S. Eutych. Papa & martyr, & Dei ministri non debent comestationibus, & vinolentiis incumbere, sed considerent sententiam Domini dicentis: *Attendite ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate.* Moderatè omnem cibum, & necessario sumptu sumite, ut juxta Apost. *sobrii sitis, & parati ad servitium Domini.* Hinc Sapient. *Eccles. 37. Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super escam.* Et Apostol. *1. ad Corinth. 6. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc, & hos destruet.* Et *ad Roman. 14. Regnum Dei non est esca, & potus.* Et *1. ad Corinth. 8. Esca nos non commendat Deo.* Et *ad Hebr. 13. Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulanti in eis. Nihil gula perniciosius,* ait S. Chrysostom. *homil. 44. in Joan. nihil ignominiosius est. Hæc obtusum, & crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc cæcat intellectum, nec sinit ut quicquam perspiciat.* Et *homil. 58. in Matth. Sues ex hominibus facit, imò etiam subius multò deteriores.* Hinc S. Hieron. *epist. 10. quæ est ad Furiam, de viduitate servanda. Non Athæni ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius, & Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medulla vino plena, & dapibus inflammata.* Et S. Ambros. *lib. 1. de penit. cap. 14. Pascitur, inquit, libido convivii, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur.* Huc vocat illud, quod Noë accidit, B. Alcuin. Noë quippe prius bibisse refertur, deinde femora sua nudasse. *Genes. 9. 21. Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.* Ab hoc ordine colligit hic author satietatem ad libidinem viam esse: sic ille scribit *interrogat. 137. Cur nudatio femorum post ebrietatem secuta est?* Respondet, *quia sæpius satietatem libido subsequitur:* & S. Nilus *orat. 2. de luxuria*, ait: *Pudicitia parit temperantiam, quia ipsa mater est pudicitia.* Nam, ut ait Cicero *lib. 1. offic. Victus, cultusque corporis ad valetudinem referuntur, & ad vires, non ad voluptatem.* Atque etiam si considerare volumus, quæ sit in natura excellentia, & dignitas, intelligimus quàm sit turpe diffuere luxuria, & delicate, ac molliter vivere, quamque honestum parcè, continentè, severè. Philo *lib. de Sacerdotum honoribus*, ita ait: *Venter porrò nil aliud est, quàm præsepe bruta concupiscentia, qui potationibus rigatur, & ingluvie.* Ne belluis, brutisque pares simus, ore uti debemus Dei laudibus celebrandis potius, quàm cibis glutientibus: scitè Tertullian. *de resurrectione carnis cap. 6. sic dicit: Accepisti homo os ad vorandum, atque potandum, cur non potius ad eloquendum, ut à cæteris animalibus distes? cur non potius ad prædicandum Deo? ut etiam hominibus antistes.*

3 *Venter pinguis*, ut Hieron. ait *epist. 2. ad Nepotian. cap. 14. crassum sensum generat, & non gignit mentem tenuem; cum Sacerdotalis sensus è contra vigil esse debeat, & tenuis: atque idè edacitatis vitio obnoxii Sacerdotes ungi non debent, c. non liceat, 44. dist. Anima sicca*, dicebat Heraclitus, *sapientissima.* Et Clemens Alexand. *lib. 2. Pedagog. subar est, inquit, anima sicca sapientissimum, & perspicax.* Unde S. Hieron. *lib. 2. adversus Iovinian. c. 7. sic dicit: Quod si quis existimat, & abundantia ciborum, potionumque se perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, & versari in deliciis, & deliciarum vitis non teneri, se ipsum decipit. Et c. 7. Sapientiæ quoque*

operam dare non possumus, si de mensa abundantia cogitemus, quæ labore nimio, & cura indiget, citò expletur nature necessitas. Nihil enim, ait S. Joan. Chrysost. *homil. 29. in epistol. ad Hebræos, & habetur can. 28. de consecr. dist. 5. sic jucundum est, sicut cibus bene digestus, aut decoctus; nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic aegritudinem fugat, † sicut moderata refectio: 4 sufficientia quippe cum nutrimento, & sospitatem simul etiam procreat, & voluptatem. Abundantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & aegritudines generat. Quod enim facit fames, hoc etiam plenitudo facit ciborum, multò autem magis peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat ex hac vita pœnali; excessus verò ciborum consumit, & putrefacit corpus humanum, & macerat aegritudine diuturna, & demùm morte crudeli consumit. Obsecro igitur ne nostrum corpus vitiosum, & inutile faciamus, neque ei vitia inferamus, &c.*

Quare Galenus *1. Aphorism.* dicit in exhortatione **5** *medicinæ, quorum vita, & ars sagina est, nec vivere posse dicit, nec sanos esse, animasque eorum ita nimio sanguine, & dapibus quasi luto involutas, nihil tenuæ, nihil cœlestis, sed semper de carnibus, & victu, & ventris ingluvie cogitare, cap. ne tales, de consecr. dist. 5. Et Cicero in 5. Tuscul. scribit fieri non posse, ut mente quis, & ratione rectè utatur, animæque vires debito loco, & tempore exerceat, cibo multo, ac potione distentus. Qui ægrotat, ait S. Hieronym. non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo, & castigato victu, quæ *æwindivata* dicitur: quibus ergo cibis recipitur sanitas, his & servari potest, ne quis putet morbos ole-ribus concitari. Præclarè id docet S. Joan. Chrysost. *hom. 49. in 1. Corinth. Non menti, inquit, sed ipsi corpori inimica, & insensa est voluptas, ex forti debile reddit, è solido enervatum, morbidum è sano, tenue ex compacto, ex florente, & formoso deforme, olidum ex fragranti, ex utili inuile, ex mundo, & puro impurum, ex absoluto doloribus undique differtum, ex recenti vetus, ex robusto flaccidum, ex celeri tardum, & ex sano languens, ex recto claudum.* Per hanc mille mala malignus ille patrat Satanas. Diurna exercitatio, & labores, & tolerantia, & moderata mensa, & victus simplex hilariora corpora reddunt, & formam propterea plurimùm juvant. Quæ quum videmus, fratres, quid non voluptates, perniciosaque convivia vitamus, & simplicem potius prosequimur victum? ut corpore simul, & animo rectè comparati, virtutibus pleni, futuris aliquando bonis potiamur. A ventris ingluvie, & gulæ luxu quæ mala oriantur, explicat S. Nilus *orat. 6. de gula.* Et nimia ciborum copia mentem, rationemque obrui affert sanctus Augustinus *epistol. 86. Brutis, & ratione carentibus animalibus parem esse, qui ventri indulget, affirmat B. Ambros. lib. 6. hexaëm. cap. 3. & Petrus Ble- 6 sensis epist. 85.**

Quotidiano experimento probatur potus satietate **6** *aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, ita ut dilectio edendi etiam corporum contraria sit salutis, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, & quod futurum est oneri, subtrahat voluptati. S. Leo Papa serm. 8. de jejuniis decimi mensis. Frequentes igitur podagræ hanc ob causam hac nostra tempestate maxime vigent, ut Galeni etiam tempore accidisse legitur Aphor. 6. comm. 28. ubi sic ait: *Ætate Hippocratis pauci podagrâ laborabant propter vitæ moderantiam, nostris verò temporibus usque adeò auctis eduliis, ut nihil eis addi posse videatur, insinua est podagarum multitudo, cum nonnulli sint, qui nec exerceantur quidem, sed cruditatibus incumbant, & ante cibum bibant vina potentia, ac venereis utantur immoderate. Legimus quosdam, ait S. Hieronym. lib. 2. in Jo- 7 vin. cap. 8. morbo articulari, & podagra humoribus laborantes proscriptioe honorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos convalescere; carnerunt enim so- 8 licitudinè**

licitudine dispensanda domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt, & animum. Irridet Horatius appetitum ciborum, qui consumpti relinquunt poenitentiam.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Occasio amittendæ sobrietatis fugienda, ut sunt convivia, & cætera, ubi solum comestationibus, & potationibus inservitur. Nam, ut ait Sapiens 23. *Proverb.*

7 † *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comestationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.* Et S. Hieron. *epistol. 2. ad Nepotian. de vita Clericorum cap. 23. Convivia*, inquit ille, *tibi vitanda sunt.* Et S. Ambros. *lib. 1. offic. cap. 20. Convenire Ecclesiasticis*, ait, & maxime ministrorum officiis arbitror *declinare extraneorum convivia, vel ut ipsi hospites sint peregrinatis, vel ut ea cautione nullus sit opprobrii locus.* Convivia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem. Subrepunt etiam fabulæ frequenter de sæculo, ac voluptatibus: claudere aures non potes, prohibere putatur superbiæ: subrepunt etiam præter voluntatem pocula. Melius est domus tuæ semel excuseris necessitati satisfaciendo, quam alienæ frequenter, & ut ipse sobrius surgas: tamen ex aliena insolentia condemnari non debet præsentia tua. Et refert Possid. *in vita S. Augustini*, cum in patria sua petatum ad convivium nunquam ire voluisse, ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus temperantiæ amitteretur modus. Et probat Gutier. *canon. lib. 2. cap. 4. num. 48. & 49.* quod clerici in conviviis debent se ostendere honestos, sobrios in cibo, potu, & verbis.

8 Hinc ob temperantiam, & sobrietatem Sancti Patres jejunium corpori pariter atque animo salutare pronuntiarunt. Audi S. Athanas. *lib. de Virginitate. Vide quid faciat jejunium: morbos sanat, distillationes exsiccat, demones fugat, malasque cogitationes expellit, & mentem nitidiorum reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei hominem sistit.* Et S. Ambros. *lib. de Helia & jejunio, cap. 8. Quid est jejunium, nisi substantia & imago cælestis, continentia magisterium, pudicitia disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio anime, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senectutis gratia, custodia juventutis. Jejunium denique est infirmitatis alleviamentum, alimentum salutis.* Hæc Ambros. Principalis ergo jejunii fructus est, quod temperantia corporis sanitatem vel conservet, vel recuperet, illudque sanius efficiat, ut probant Medici, qui ægris statim jejunium, inediam, diætam præfinit, & diutissime vixerunt, qui severissime etiam jejunarunt, ut SS. Antonius, Paulus, Hilarius, Romualdus, & alii. Unde à veritate alienum est dicere † hominem per jejunium debilem reddi, quia ut ait S. Leo, Samson ita fortis à Deo est factus, quandoquidem multis jejniis ejus mater macerabat corpus: è contra argute Diogenes ventrem vitæ Carybdin appellat, cujus nimia ingurgitatione nihil est animæ corporique nocentius, nihil quod ingenia magis enecet, magisque pudorem confundat, nihil quod stoliditatem magis generet, atque vecordiam. Et Amandus Presbyt. *Ventrem*, inquit, *distentum cibo, & vini potationibus irrigatæ voluptas genitalium sequitur: pro membrorum ordine ordo vitiorum est.* Castra jejunia esse, in quibus contra hostium insidias stamus, & contra Satanam pugnamus, asserit S. Ambros. *serm. 25. Castra nobis sunt nostra jejunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quod stantes, & commorantes in eis inimicos insidiantes repellamus. Castra planè sunt jejunia Christianis, à quibus si quis aberravit, à spirituali Pharaone insidiatur, aut peccatorum sollicitudine devoratur.* Christi castra jejunium appellat S. Petrus Chrysologus *serm. 12.* Deique arcem. *Jejunium, Fratres, scimus esse Dei arcem, Chri-*

sti castra, murum spiritus, vexillum Fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Hoc Adam servavit in Paradiso, quem inde detraxit gula: hoc in arca custodivit mundum, quem ebrietas Noë demersit. Per hoc Loth Sodomiticum extinxit incendium, qui per ebrietatem incesti est adustus incendio. Scitè Hiperitius lib. 4. Apoph. Anachor. Siccatum jejunio corpus Monachi animam de profundo elevat, & siccat fistulas delectationum jejunium Monachi.

Oportet igitur moderatis epulis contentos esse Sacerdotes, ut admonet Eutyech. Papa Concilii Carthaginens. *cap. 15.* ut aliorum incontinentiam, & immoderationem queant coarguere, dicente S. Clemente *in Apostol. constit. lib. 8. c. 50. Cum suis Presbyteri, & Diaconi Christi, sobrii esse debetis, & privatim, & cum aliis, ut possitis intemperantes coercere.* Liberato enim noster Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, idcirco convivia adiit, ut verbo & exemplo alios temperantiam doceret, non ut seipsum pasceret; qui ut modestiam victus præscriberet, & ipse continuis quadraginta diebus nihil gustavit, *Matt. 4. Sumite cibum, aut potum*, ut ait Apostolus *1. ad Cor. 10. in laudem Dei.* Quomodo, querit S. Basil. *interrog. 196. in regulis*, manducat quis & bibit ad gloriam Dei, & simul respondet: Nimirum † quando divinorum beneficiorum erga se memoriam conservat, ejusmodi animi affectionem retinet, quæ ex compositione etiam corporis declaretur, ut ne tanquam securus omnino manducet, sed ut qui inspectorem habeat Deum. Et quando in sumendo cibo illud sibi propositum habet, ut non tanquam ventris mancipium propter voluptatem manducet, sed tanquam operarius Dei, ut in operibus quæ sunt ex mandato Christi, exequendis esse firmior possit. Unde Prosp. *lib. 2. de vita contemplativa, cap. 17. de abstinentia*, ita dicit: *Quisquis sine cibo potus vini percipitur, non sustentanda natura, sed luxuria causa sumitur. Veram abstinentiam instar cytharæ temperandam docet Gregor. lib. 20. moral. cap. 31. Pensandum*, inquit, *est quod chorda in cythara si minus tenditur, non sonat, si amplius, raucum sonat; sic virtus abstinentiæ, aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet: aut valde inordinata est, si corpus atterit plusquam valet.*

Vos, ô Præsules, si sanctorum Conciliorum decreta veneramini, illud in primis decretum Concilii Carthagin. IV. in imo corde defigite, in quo ita habetur: *Episcopus vilem suppellectilem & mensam ac victum pauperem habeat; à quo mutuatus est Concil. Trident. sess. 23. de reform. cap. 1. his verbis: Episcopi modesta suppellectili, mensa, ac frugali victu contenti, &c. Mensa Episcopi*, ait quidam modernus, *frugalis sit & temperata, quam illi accedens de more piè benedicat, & in qua nihil præter primam escam, & unum cibum juculentum, & duo fructuum genera, vel ad summum alterum obsonii simplicis ferculum apponatur; placentæ, esca nimis laute condita, & varia vinorum genera amoveantur. In ecclesiis Sacrorum librorum semper adhibeatur, parasitis, adulatoribus, scurrilibus jocis, & hujusmodi longè inde remotis, & post sumptam refectioem bonorum omnium largitori Deo gratia supplices reddantur.* Quæ tamen Conciliaris dispositio non tollit, quin Episcopus possit aliis & diversis uti ferculis, si Episcopatus redditus sufficientes sint, ut advertit Alzed. *de præcellent. Episcop. dignit. p. 1. c. 5. à num. 29. & præcipue num. 31. & decidit Anchar. Clem. ad nostram, num. 11. de censib.* quod Episcopi non debent cogi vesci cibis paucis, & vilibus, & pauperum, ut Religiosi, sed in hoc casu præcipue quantitas reddituum, & Episcopi qualitas debet considerari, ut dicit Selv. *de benef. p. 1. quest. 5. num. 176.*

Victus enim tenuitatem sub Christi Domini disciplina sectati sunt Apostoli, quorum successores sunt Episcopi, qui segetum spicas manibus confricantes

tam simplici cibo pellebant inedia, *Matth. 12. Marc. 2. Luca 6.* Cum numero duodecim essent, nihil aliud quam quinque panes hordeaceos, duosque pisces habuere in deserto, *Joan. 16. Matth. 14.* quibus Dominus quinque millium turbam pavit. Iterum nihil omnino præterquam septem panes, & pauculos pisciculos, quando quatuor millia virorum satiata sunt, *Matth. 15. Marc. 8.* Rursum transfretantes obliti sunt panes secum ferre, *Matth. 16.* aded non erat ipsorum animus in patinis, sed in doctrina, & exemplo Christi, ut cibarium curam non haberent, quin & sæpe ita obruebantur, ut nec reficiendi corporis facultas daretur. Hinc *Marc. 16.* ait Apostolis Jesus: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum;* erant enim qui veniebant, & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant.

14 Quantum temperantiæ studium in Beato Augustino fuerit, locuples ipse testis est *lib. 10. confess. cap. 31.* *Reficimus quotidianas,* ait, *ruinas corporis edendo, & bibendo, & suavis est mihi ista necessitas, & adversus istam suavitatem pugno, ne capiat, & quotidianum bellum gero in jejniis, sapius in servitute redigens corpus meum. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam, sed in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentia, ipse enim transiit voluptas est. Et cum salus sit causa edendi, & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat quod salutis causa me facere vel dico, vel volo. Nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum fuerit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrociniū, gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbrat negotium voluptatis. His tentationibus conor quotidie resistere, & invoco dexteram tuam ad salutem meam: conforta me ut possim: da quod jubes, & jube quod vis.*

15 Sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, ut est in ejus vita apud Suriū *tom. 1.* nec morbo quidem afflictus, carnis, vel vini usum admisit, veritus ne infirmitati blandiens semel intermissum vitæ rigorem sanus postea repetere nollet superatus gulæ voluptate.

16 Sanctus Amandus Turoni ad Beati Martini sepulchrum quindecim annos mansit, & hoc tempore cibus illi panis hordeaceus, aqua potus fuit: qui postea Trajectensis Episcopus creatus abstinentiam non minuit, sed auxit. Surius *tom. 1. in ejus vita.*

17 S. Joannes Chrysostom. uno tantum ferculo hordei quotidie vescabatur, non comedens carnes, nec bibens vinum. S. Basil. contentus erat pane, & aqua. Ambrosius singulis diebus jejunabat, præterquam in Sabbato, & die Dominica, ac in natalitiis celeberrimorum Martyrum. S. Thomas Cantuariensis, quamvis primum delicatis cibus uteretur, postea leguminibus tantum contentus, pauperes quotidie secretò discumbere faciebat.

18 Tenuissimo item victu usi sunt antiqui Eremitæ, & testatur D. Hieron. se in ea eremi parte, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, vidisse Monachos, de quibus unus per triginta annos clausus hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit: alter in cisterna veteri, quam gentili sermone Syri *rubam* vocant, quinque caricis, id est aridis ficibus, per singulos dies sustentabatur. Et idem Hieron. in vita D. Pauli Eremitæ, asserit illum in orationibus, & solitudine duxisse vitam, cibum, & vestimentum ei palma præbente. Et in vita S. Hilariōnis ejus miram abstinentiam explanat Palladius in *Sanctorum Patrum historia, cap. 51.* Videmus, inquit, alium quoque senem in solitudine Antinoy, quæ est Metropolis Thebæidis, Eliam nomine, qui natus erat centum, & decem annos: multa signa quotidie peragebat, nec cessabat mederi agrotantibus. Comedeat in senectute

te tres uncias panis, tres oleas vespere. In juventute autem semel comedeat in hebdomada. Et c. 68. Evagrius Diaconus Angeli monitu in solitudinem profectus, & vaicinandu dono præditus dixit: Ex quo veni in solitudinem non tetigi lactucam, non minutum olus, non aliquid viride, non fructum, non uvam, non lavacrum, non carnem, non panem, non vinum, neque omnino aliquid ex iis, quæ per ignem transeunt, præter quadam olera cruda, & modicum aquæ. Post autem sextumdecimum hujus instituti annum, propter corporis & stomachi imbecillitatem, ad biennium, quo migravit ad Christum, non nisi pisanam, id est coctum hordeum, vel legumina sumpsit & panem. Et de temperantia, ac vitæ austeritate olim Ægyptiorum Sacerdotum tractat S. Hieronym. *lib. 2. adversus Jovinianum, cap. 9.* Et multa de temperantia tradunt Guilielm. Alotus in suo thesauro, verb. temperantia, Joan. Suarez Episc. Conimbricensis in *Matth. c. 14. tract. 2. Didaci Stella enarrat. in c. 6. Luca,* Ludov. de la Puente in *lib. inscripto Hispanico idiomate, Quia spiritual, tract. 4. c. 15. §. 3. Less. de justit. lib. 4. c. 1. n. 1. cum sequent. Joan. Gagnæ. in epist. ad Galat. c. 5. & ad Rom. c. 13. Bernardin. Rosignoli. de disciplina Christiana perfectionis, lib. 5. c. 33. per totum.*

Vocem illam, *sobrium*, de qua in textu, monet Hieronym. ambiguam esse, & significare non solum sobriū, quo sensu eam supra explicavimus, sed etiam vigilantem. Sic Chrysost. *Sobrium*, inquit, ac vigilantem dixit; hoc est, clarissima mentis acie præditum, innumerosque habentem omni ex parte oculos, quibus acutissime cuncta prospiciat; sunt quippe plura, quæ incidant, & mentis hebetent aciem, puta concupiscentia, quotidiana cura, rerumque perturbatio, & plurima id genus undique imminent. Vigilantem igitur esse necesse est illum qui non tantum sui curam habet, verum etiam aliorum. Decet esse pervigilem eum, qui ejusmodi est, ac spiritu videre, & affectus sui flammam operibus ipsis ostendere, ducesque omnes sollicitudine, atque industria superare, ut die, nocteque exercitum, & castra perlustrat, laboret, & sui officii munus diligentissime impleat, atque omnium curam, & sollicitudinem gerat. Cum Chrysostomo sentiunt Theodoretus, reliquique Græci, ille enim vigilantem explicat, qui possit considerare quid agendum sit, Theophylactus perspicacem, qui que suis rebus attentus sit, nullisque hujus sæculi curis addictus.

GLOS. VI.

Prudentem.

SUMMARIUM.

- 1 Prudentiam virtutum Abbatisam nuncupat S. Bernardus.
- 2 Prudentia non existente, nulla est virtus.
- 3 Episcopus debet esse tanta eruditionis, ut omnes motus, & gressus, & universa opera ejus sint notabilia.
- 4 Prudentia Pralati in quibus consistat, ostenditur.
- 5 Prudens est qui intelligentia sua aliquid cognoscit: sciens vero, qui alterius judicio rem percipit.
- 6 Prudentes sicut serpentes, quare Pralati requirantur, ostenditur.
- 7 Propter stolidam, aut stultam simplicitatem repellitur quis ab Episcopatu.
- 8 Ad Sacerdotium Summum Ecclesie aspirare nullus præsumat, qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non sit imbutus.
- 9 Prudentia est in Episcopo, ut non sit facilis ad credendum.
- 10 Prudentia in Episcopo est, ut in negotiis arduis non sit facilis ad determinandum.
- 10 Consilio, & alieno judicio in arduis semper procedendum.

- 12 Prudentia in Episcopo requiritur ad reconciliandos peccatores.
- 13 Prudentia Episcopi est in malignarum calumniis patiens esse.
- 14 Episcopus adversitates, & tribulationes perpeti debet.
- 15 Prudentia magna in Episcopo debet esse circa collationem beneficiorum & spiritualium.
- 16 Vigilantia & sollicitudo ab Episcopis non solum in distribuendis beneficiis, sed in omnibus ad suum munus pertinentibus requiritur.
- 17 Peritiam secularium negotiorum oportet Episcopos habere.
- 18 Sobrius idem quod vigilans aliquando significat.



PRUDENTIA, quam Divus Bernardus virtutum Abbatissam non incommode nuncupavit, ad eam curam publicam gerentibus necessaria est, ut hanc unam Salomon (optione sibi a Deo data petendi quod vellet) poposcerit, quae populum sibi commissum regere, & in officio continere posset. Quae sane ejus petitio ita Deo placuit, ut non solum quam petivit prudentiam, sed opes etiam, & gloriam, quas non petierat, cumulativissime fuerit impertitus. Est enim haec virtus ad eam Principibus necessaria, ut eadem in libris Sapientiae, Proverb. 8. de se ipsa testetur, Reges omnes per se unam regium principatum tenere, & legum conditores justa decernere. Ipsius numine Principes imperare, & qui autoritate plurimum valent, justitiae moderationem tenere. Et haud multo post virtutis hujus vim idem Salomon per ejusdem prudentiae personam ita exaggerat Proverb. 1. Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Et rursum Proverb. 17. Servus sapiens dominabitur filiis stultis, & inter fratres hereditatem dividet. Cumque filius natura superior sit, & servus inferior, ad eam tamen potens est sapientia, ut ex servo non modo liberum, sed etiam liberis superiorem faciat. Hinc Aristot. lib. 3. Politicor. c. 3. ait prudentiam esse virtutem propriam ejus, qui ceteris praest.

2 Nulla est virtus, inquit Modernus quidam, prudentia non existente. Et Cicero lib. 1. Tuscul. quaest. Nihil est hominis prudentia dulcius. Et Cassiodor. epistol. lib. 6. epistol. 10. Sola est prudentia, quae rebus omnibus praepositur, quando in homine feliciter invenitur. Hinc Salomon. Proverb. 16. asserit: Acquire prudentiam, quia pretiosior est argento: & cap. 7. Prudentiam voca ad animam tuam: & cap. 9. Ambulate per vias prudentiae. Quamobrem merito D. Gregorius in pastorali, adversus eos, qui tantae hujus virtutis praesidio destituti Pastoris officium invadunt, clamat dicens: Nulla res doceri praesumitur, nisi inventa prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars artium est regimen animarum? Quid ex hoc consequi necesse est, nisi quod a Domino dictum est, Matth. 16. Cæci sunt, & duces caecorum; caecus autem si caeco ducatur praebeat, ambo in foveam cadunt? Cæcitatem verò hanc Dominus tanquam maximum flagellum impiis per Prophetam Esai. 29. comminatur, dicens: Ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic, miraculo grandi, & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus, & intellectus prudentum abscondetur. Sine prudentia autem, & intellectu quid praecclare poteris administrare, etiam si omnibus aliis virtutibus instructus sis? Haec enim virtus ubique in litteris sanctis fortitudini antefertur, quoniam efficacior est ad res gerendas prudenter excogitata ratio, quam quaecumque sive potentia, sive fortitudo hujusmodi consilio destituta. Unde scriptum est Proverb. 21. Civitatem fortium ascendit sapiens, destruxitque robur fiducia ejus.

3 Sit igitur Episcopus tantae eruditionis, ut omnes motus, & gressus, & universa opera ejus notabilia sint:

veritatem mente concipiat, & eam toto habitu resonet, atque ornatu, ut quicquid agat, quicquid loquatur, doctrina sit populorum. Pastor sit in tranquillitate omnia disponens, in omnibus viis suis prudenter agens, & in brachio excelso gregem suum praecedens exemplo, & Dominus erit cum illo. Episcopus sit temperans, & non superbus, negotiis opportunus, nunquam verò temerarius, regentis quoque autoritate dignus, & plenus. Prudens existat † Praelatus (inquit Modernus quidam) ita ut arte quadam omnibus omnia fiat, ut loquacioribus frequentiores turbas, & conventibus hominum taciturnis sollicitudinem nimiam interdicit, alacrioribus tristem vultum, tristioribus alacriorem ostendat? Levibus & vagabundis ne quid pro arbitrio aliquid concedat, solidis & constantibus ne deneget, industriis & laboriosis ut remissionem sapiens det, & relaxationem; segnes, & ignavos ut ad exercitia frequenter, & labores impellat: ingluviosos ut lautioribus mensis nunquam admoveat, frugales & sobrios ne repellat: officiosos, quietis, mansuetis, ut multa quae vel ad vescendum, vel amicum, vel conservandum pertinent, largiore manu permittat. Ita prudens debet esse Praelatus, ut sit austerus sine iracundia, comis sine scurrilitate, severus cum jucunditate, jucundus cum severitate: irascatur, sed modice: objurget, sed non contumeliose: corrigat, sed non acerbè: dissimulet interdum, sed cautus: laudet etiam, sed non profusus: blandiatur quoque, sed gravius: remittat, sed non licentius.

Vnde in cap. qui Episcopus, 23. dist. sic legitur: Qui Episcopus ordinandus est, antea examinatur si sit prudens, si docilis, si moribus temperatus, si pervigil, si semper suis negotiis cavens. Item in princip. dist. 36. ubi: Oportet ordinandum esse prudentem, ubi D. Acunha, & citat Menoch. de arbitr. lib. 2. casu 426. Nav. in cap. si quando, de rescript. except. 1. n. 3. Nam ultra scientiam, qua praefulgere tenetur, sapiens debet esse, cum scientia & sapientia inter se differant secundum Aristot. de Anima. Prudens est, qui intelligentia sua aliquid cognoscit: sciens verò, qui alterius iudicio rem percipit. Terent. in Eunuch. Et prudens, & sciens vivus vivensque pereat: cum adductis per Bobadil. in sua politica, lib. 1. c. 5. à princ. & c. 9. † Prudens ideo debet esse Praelatus, quia ars est artium regimen animarum. Unde docuit Dominus Praelatos, dicens: Estote prudentes sicut serpentes, volens ut serpenti similes in hoc existant, ut nempe blandi sint, ac tractabiles, omniumque naturae se accommodent, utque vigilantissimi semper, ac circumspiciti sint, veluti ipse serpens, qui semper collo atque pectore erecto incedit, circumspiciens undequaque, ut à repentino, quo casu offendi posset, malo salvus consistat. Nam † propter stolidam, aut stultam simplicitatem repellitur aliquis ab Episcopatu, ut habetur in cap. Petrus, 39. dist. in haec verba: Petrus Diaconus quem à vobis electum asseritis, omnino, ut dicitur, simplex est, & nostis quoniam hoc tempore talis in regimine arcis debet constitui, qui non solum de salute animarum, sed etiam de extrinseca utilitate, & cautela sciat esse sollicitus: sit humilis, & affabilis, & in sensibus Scripturarum cautus, & acutus. Hinc Gregor. ita dicit: Non fiat Abbas, qui sibi sapiens esse videtur, nec est in suo sensu humilis.

Qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, & temporum approbatione divinis stipendiis eruditus, nequaquam ad Summum Ecclesiae Sacerdotium aspirare praesumat, ut ait Zozimus Papa in epistol. ad Esichium Episcopum, relatus in c. 2. 35. dist. Unde David 2. Regum 5. prius ex gratia Spiritus sancti donum scientiae percepit, & postea administrationem regni assequutus est. Hinc etiam Salomon Eccles. 3. Prius, ait, tempus tacendi, & postea tempus loquendi; quia veritas prius tacendo discitur, & postea loquendo praedicatur. Hinc etiam Dominus 2. Paralip. 1. prius ponit verba sua in ore Prophetarum, & postea constituit eum

eum super gentes, & regna, dicens ad Hieremiam: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes, & super Regna.* Et Salvator noster ipse Dominus Jesus Luca 2. prius in medio Doctorum sedit audiens illos, & interrogans, & postea prædicare cæpit; quia prius quisque discere, & postea prædicandi officium accipere debet. Deinde Matth. 10. prius Apostolos docuit, & postea eos ad prædicandum misit, dicens: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba.* Sic etiam post Resurrectionem prius illis sensum aperuit, & Scripturas explanavit, & postea dixit eis: *Euntes in univsum mundum,* &c. Unde cum Matth. 14. de quinque panibus quinque millia hominum vellet reficere, prius panes accipiens fregit, & postea Discipulis dedit, & per eos demum turbis apposuit; quia Sacramenta legis, & Prophetarum prius disserendo exposuit, & postea eorum scientiam Discipulis dedit, & per eos tandem illam fidelibus dispensavit.

9 *Primò ex prudentia promanat, ut Episcopus non sit facilis ad credendum; nam hoc inter omnia vitia prudentiæ contraria est unum, quod primo loco cavendum est, ut ait Divus Bernardus ad Eugenium lib. de considerat. c. 13. his verbis: Est, ô Eugeni, unum vitium, cuius si te sentis immunem, inter omnes, quos novi, ex his qui Cathedras ascenderunt, sedebis, me iudice, solitarius: hoc est, facilitas credulitatis; cuius callidissima vulpescula magnorum neminem comperi satis cavisse versutias, ex qua ipsismet pro nihilo multa nascuntur ira. Inde innocentium frequens additio, inde præjudicia in absentes, &c. Joannes in Extravag. Divinis, de pænis, ita ait: Nos mala contra aliquem dicta nolumus prius credere, quam probare.*

10 *Secundò ex eadem prudentia fluit, quod Episcopus in negotiis arduis non sit facilis ad determinandum, sed sumpto ad cogitandum spatio, diu multumque res expendere debet, omnia circumspicere, & considerare, juxta Sapientis dictum, Prov. 4. Oculi tui recta videant, & palpebra tua præcedant gressus tuos: & Proverb. 9. Qui festinus est pedibus, offendit, & docet noster Apostolus ad Timoth. 1. c. 5. Nemini citò manum imponas, ne communices peccatis alienis.*

11 *Tertiò ex eadem prudentia provenit, ut Episcopus negotia ardua sine aliorum consilio non decidat, juxta illud Proverb. 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Eccles. 32. Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis, & ibidem: Ante omnem actum consilium præcedat te, & Tobias consulit filio suo, ut semper consilium à sapiente requirat, Tob. cap. 2. Qui agunt, dicit Sapiens Prov. 3. cum consilio, reguntur sapientia. Et Horat. lib. 3. carm. od. 4.*

Vis consilii expertis mole ruit sua.

Et S. Bernardus, *non abundes in sensu tuo, sed alieno magis acquiescas consilio, & iudicio. Qui de sua unius sententia omnia gerit, ait Livius, superbum hunc iudicabo magis, quam sapientem.* Et alibi: *Qui neque ipse consulere, neque alteri parere scit, extremi est ingenii.* Nemo aded sapiens, qui aliorum consiliis non indigeat, nemo aded magnus, qui ad infimorum etiam monita demittere se non debeat; incipit esse minimus, qui inferiorum consilia minimè quærit, ut scitè Symmachus lib. 4. epist. 7. & monebat Leo Imper. c. 4. *omnem actionem consilium antecæat, inconsulta enim rerum tractatio haud satis tuta est.* Attende tamen à falsis Prophetis, id est consultoribus, quorum consilia, ut ait idem Bernardus, Deo non sunt odorifera: cautè igitur audienda sunt eorum hominum consilia, in quibus non constat vigere timorem Dei, aut qui affectibus carnis obnoxii suat.

12 *Quartò ex eadem prudentia enascitur, ut Episcopus in reconciliandis peccatoribus sit diligens, & cautus; nam Christus Dominus hoc tantum diligit, ac curat, ut dicat, Joan. 21. Si diligis me, pasce oves*
Aug. Barbaſa de Episcop. Pars I.

meas, hoc est in quo mihi summè placere potes, si eos qui me offenderunt, mihi reconcilies; ob hoc enim ego sanguinem fudi. Quod igitur ardentius exercitium, quam erecto in Deum corde per varia loca discurrere, quærendo, sitiendo, & procurando animarum salutem? Nam unicus finis, unicus scopus, unica consolatio, unicum refrigerium pastoralis officii est adducere animas ad cognitionem, & amorem Dei. Apost. ad Philipp. 5. vocabat conversos à se, gaudium meum, & corona mea. Hoc autem maximum laborum omnium levamen. Mens mea solida est, & in Christo fundata, dicebat Sancta Agatha. Quantum verò contorqueri debeat Episcopus, quando subditi peccant, nobis demonstrat Chrylost. homil. 3. in Acta, his verbis: Quando aliquos vestrum peccare contingit, emoriar, nisi videor similis dolore exanimatis, nisi attonitus, ita ut etiam ipsum lumen oculorum meorum non sit mecum; nam quæ spes mihi, si vos non proficiatis.

13 *Quintò ex eadem prudentia manat, ut in calumniis malignantium sit patiens: non enim arbitretur Prælati, quantacumque polleat sanctitate, posse se omnino evadere invidias, detractiones, & calumnias malignantium, sed contemnat se à talibus contemni, nec extimescat eorum scandalum, quia in tali casu Dominus dicit, Matth. 16. Cæci sunt, & duces cæcorum. Quid mirum si omnes contradicunt tibi? Nonne de Domino dicit Sanctus ille Simeon, Luca 2. Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur? Et David, Astiterunt Reges terra, &c. Et Hierem. Omnes contradicunt mihi: & Actuum ult. De secta hac notum est nobis, quod ubique ei contradicetur. Si igitur citra culpam tuam Apostolicos montes sectando contemneris, age gratias Deo, quemadmodum Sancti faciebant, & læto animo dic cum David Psalm. 118. Adolescentulus sum ego, & contemptus, tamen justificationes tuas non sum oblitus. Et Psalm. 68. Domine propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam, extraneus factus sum fratribus meis, &c. Quare, Quia zelus domus tue comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me; id est, zelus acquirendi animas tibi me coëgit ad humilitatem Apostolicam sectandam: Scio, Domine, quod non ex ore potentium, sapientium, ac pompaticè incedentium, sed ex ore infantium, & lactentium, id est simplicium, & contemptorum Apostolorum voluisti sapientiam tuam, ac gloriam perfectè manifestari. Qui in hac vita, dicebat quidam Sanctus, ad linguas dolosas tenderit, & non potius intentioni suæ, & menti animum totus intenderit, nunquam Deo inserviet, neque hominibus utilis erit. Nam † adversitates, & tribulationes perpeti debet* 14 *Episcopus. Unde Bernard. ad Eugen. lib. 2. cap. 5. Agnosce, inquit, hereditatem tuam Christi Cruce, in laboribus multis. D. Paul. ad Corinth. 2. cap. 3. Omnem tribulationem passi sumus, foris pugna, intus timores. Et ipse Christus Apostolis suis, quorum vices repræsentant Episcopi, dixit: Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Hinc etiam Innocent. III. in cap. qualiter & quando 2. de accusationibus, dicit Prælatos non posse omnibus complacere, cum ex officio suo non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam verò ligare debeant; & ided frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur, in quibus diffidendum non est, imò in labore, & ærumna, in fame, & siti laborandum, impendentes sua, & seiplos pro animabus, quamvis dura fronte sint, quia noster Apost. 1. ad Corinth. 15. non dixit, plus omnibus fructificavi, sed plus omnibus laboravi, &c. Et nihil tam durum, quod duriori non cedat. Unde Dominus ad Prophetam dicit Ezech. 3. Dedi frontem tuam duriorē frontibus eorum. Et Prælati, qui partes suas explet cum Propheta, Mich. 6. dicere poterit: Popule meus quid tibi debui facere, & non feci*

feci? Eget, inquit Bernard. *serm. 10. super Cant. pastor eruditione, sed multo magis unctione, quae sola docet de omnibus: eget vigore, & fervore; vigore quidem, ne cedat tribulationi, sed pro iustitia persecutionem viriliter sustineat; fervore autem, ut nullis rapiatur voluptatibus, nullis illecebris enervetur, iam non sibi vivere studens, sed ei qui pro eo mortuus est. Cum infirmantibus infirmetur, uratur cum scandalizatis, fiat etiam (si oportet) iudeis iudeus, cum Job sit frater draconum, & socius struthionum: non timeat pro fratribus cum Moyse deleri de libro vita, & cum Paulo anathema esse à Christo.*

15 Sexto, ex eadem prudentia fluit, ut Episcopus circa collationem beneficiorum, praecipue curatorum, & spiritualium officiorum debitam adhibeat sollicitudinem, & vigilantiam, cum eorum sit tantum dispensator, juxta illud nostri Apost. 1. ad Corinth. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Ideo praec oculis habere debet illud 1. ad Thimoth. 5. Testificor coram Deo, & Christo Jesu, & electis Angelis, ut haec custodias sine praepudicio (id est, sine praecipitatione iudicii) nihil faciens in alteram partem declinando (id est, nihil agens praecipitanter) manus cuius nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Vacante igitur beneficio orandum est. Ostende, Domine, quem elegeris, &c. Act. 1. Tu Domine nosti, quod in hac distributione ego prorsus nolo attendere ad carnem, & sanguinem, sed eligere ministrum tibi fidelem, & Medicum utilem animabus tuo sanguine redemptis. Animadvertite Pastor vigilantissime, quomodo Luca 6. pernoctavit Dominus in oratione, & manè elegit Apostolos. Elige, ut commendat Bernard. ad Eugenium lib. 3. viros probatos, non probandos; quia in curia potius deficiunt boni, quam meliorentur mali. Assume potius cunctantes, & remuentes, quam volentes, & currentes. Compelle illos intrare, qui praeter Dominum timeant nihil, non sperent nisi a Domino: in cunctis benemorati, qui sint in consilio providi, in iubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, in adversitate securi, in prosperitate devoti, in zelo sobrii, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in convivio non effusi, in cura rei familiaris non anxii: qui quod verecunde excusant, obstinatius non recusent: qui vulgus non spernant, sed doceant: divites non palpent, sed terreat: pauperes non gravent, sed foveant: qui orandi officium revereantur, & in omni re plus fidant orationi, quam suae industriae, vel labori: qui se amabiles praebeant, non verbo, sed opere: se reverendos exhibeant, sed actu, non fastu; qui humiles cum humilibus, duos dure arguant, malignantes coerceant, reddant retributionem superbis: qui non de dote viduae, & patrimonio Crucifixi se, vel suos ditare festinent. † Vigilantia, & sollicitudo ab Episcopis non solum in distribuendis beneficiis, sed in omnibus ad suum munus pertinentibus magnopere requiritur, ut ex variis sacrarum litterarum locis clarè dignoscimus. Nam in Actibus Apostolorum dicitur cap. 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et paulò post: Propter quod vigilate, &c. Et Apost. noster 2. ad Thimoth. 4. Tu vero vigilia, in omnibus labora, ministerium tuum imple. Et ad Rom. 12. postquam officia singulis Ecclesiae gradibus convenientia enumeravit, Episcopo tribuit praec omnibus nominatim sollicitudinem, dicens: Qui praest sollicitudine. Et ad Philipp. 2. ait, quod Thimotheus sincera affectione sollicitus erat pro illis. Et ad Hebr. 3. Obedite praepositis vestris, ipsi enim pervigilant pro animabus vestris.

Advertendum denique duxi, etiam saecularium negotiorum oportere Praelatos peritiam habere, cum subditis suis non solum spiritualia, sed etiam carnalia subsidia ministrare debeant, exemplo Christi qui tur-

bas sequentes non solum verbo docebat, sed etiam virtute sanabat, & corporalibus alimentis reficiebat. Ut autem Praelati haec omnia plenè possint perficere, saecularium negotiorum oportet eos habere solertiam, ut eorum cautela Ecclesiae serventur indemnes, & cuique necessaria pro suo modo ministrentur. Unde Gregor. scribens Clero, & nobilibus Neapolitanis, lib. 8. epist. 40. relatus in c. Petrus, 29. dist. sic ait: Petrus Diaconus, quem à vobis electum asseritis, omnino (ut dicitur) simplex est & nobis; quia talis hoc tempore in regimini debet arce constitui, qui non solum de salute animarum, verum etiam de extrinseca subditorum utilitate, & cautela sciat esse sollicitus, &c.

GLOS. VII.

Ornatum.

SUMMARIUM.

- 1 Gravitas debet esse in incessu Episcopi, ut scilicet raro, & moderato gressu incedat.
- 2 Honestas debet esse in habitu Episcopi, ut non sine vestes incisa, aut diverso colore.
- 3 Munditia adhibenda est, non odiosa, nec exquisita nimis.
- 4 Vestitus non debet esse affectatus, sed naturalis, & simplex.
- 5 Religio non est in habitu, sed in corde.
- 6 Indumenta mollia animi molliam indicant.
- 7 Episcopi nec fulgidis, nec sordidis vestibus se ornare debent, sed inter utrumque medium quoddam est capiendum.
- 8 Comarum, aut vestium extra necessitatem curam gerere vel infelicitium est, vel iniustorum.
- 9 Episcopi supellex qualis esse debeat ostenditur.
- 10 Honor non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis edificiis, sed gravitate morum, & actuum honestate cognoscitur.
- 11 In vestibus non est gloriandum, cum eas vermes & gignant, & perdant.
- 12 Praelatum declinare ad austeritatem vitae in mensa, vestibus, & numero servitorum, expeditius, & efficacius.
- 13 Pompa in fastu plus scandalizat homines saecula quam aedificat.
- 14 Ecclesia auctoritas non consistit in fastu Praelati.
- 15 Honori reverentia debetur, non divitiis, & vestibus.
- 16 Moyses Israëlitici populi Princeps in vestitu, vestibusque quotidianis nihil fastus, sed simplicitatem, frugalitatemque privati hominis exercuit.
- 17 Ethnici Principes sine fastu vixerunt.
- 18 Sanctus Martinus factus Episcopus eandem in vestitu vilitatem habebat, quae apud se prius fuerat.
- 19 Sanctus Augustinus usus fuit frugali, & parca mensa.
- 20 Sanctus Basilius victu, & cultu fuit abstinentissimus.
- 21 Sanctus Exuperius vestitu moderato usus fuit.
- 22 Temporum diversitas non mutat fortunas pauperum, aut mores hominum.
- 23 Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 1.

NON solum Episcopus debet esse ornatus in interioribus, quae consistunt in virtutibus, & vitae sanctimonia; unde inquit Hieronym. ad Nepotianum: Vis scire quales Deus quaerat ornatus? habeto iustitiam, temperantiam, prudentiam, fortitudinem: nihil enim hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius; haec enim ornamenta tibi sunt, & scuta. Sed etiam in exterioribus, quae consistunt in quatuor, videlicet cibo, & potu, de quibus egimus alleg. 5. & in incessu, & habitu, de quibus agemus in praesenti,

1 præfenti. † In incessu debet esse gravitas, ut scilicet raro & moderato gressu incedat, ut sic gravitate itineris ostendat gravitatem mentis. † In habitu debet esse honestas, ut non sint vestes incisæ, ut jocularum, aut diverso colore, vel non aptæ religioni clericali, aut fucatae, dummodo nec fulgidis, nec sordidis se vestibus

2 ornet. Nam, ut ait Cicero *lib. 1. offic.* † *Adhibenda est munditia non odiosa, neque exquisita nimis, tantumque fugiat agrestem, & inurbanam negligentiam.* Eadem ratio habenda est vestitus, in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est: quæ mediocritas secundum

3 S. Ambrosii *lib. 1. offic. c. 19.* in eo posita est, ut † vestitus non sit affectatus, sed naturalis, & simplex, neglectus magis, quàm expetitus, ut honestati, vel necessitati nihil accedat nitoris. Homines igitur Ecclesiastici parum æstimentur pudici, qui sibi probro sunt & ignominia. *Parem*, ait S. Cyprian. *lib. de habitu Virginum, se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet. Mundi pompis & deliciis jam tunc renuntiavimus, cum meliore transgressu ad Deum venimus. Ornamentorum, ac vestium insignia, & lenocinia formarum non nisi prostitutis & impudicis foeminis congruunt. Et nullarum ferè pretiosior cultus, quam quarum pudor vilis est.* Nitens cutis, ait S. Hier. *epist. 47. c. 3.* *sordidum ostendit animum.* Et S. Bernardus in apologia ad Guillelm. Abbatem: *Apostolus (ait) ita loquitur 1. ad Timoth. 9. habentes victum & vestitum, his contenti sumus. Nobis autem est pro victu satietas, nec vestitum appetimus, sed ornatum. Queritur ad induendum non quod vilius, sed quod subtilius invenitur: non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat: non denique, juxta regulam, quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imò vanius ostentari. Quivis de seculo, quantumlibet honoratus, etiamsi Rex, etiamsi Imperator ille fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint & aptata. Caterum † in habitu, inquit, non est religio, sed in corde: bene ex cordis thesauro sine dubio procedit quicquid foris apparet vitiosum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est. † Mollia indumenta animi molliem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Quod verò non solum vanitatis, sed etiam superbiae sit pretiosis indui vestibus, collegit S. Greg. tom. 4. in Evangel. dum ait: *Quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quaritur, res ipsa testatur; quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. Quo pertinet illud Socratis ad Xanthippem conjugem singulari se veste induentem, ut ad pompam spectandam prodiret, dictum. Hanc, inquit, non spectandi causa, sed potius ut specteris, habes, sicut habet Ælian. in lib. de varia hist.**

4 Quare Episcopi nec fulgidis, nec sordidis vestibus se ornare debent, sed inter utrumque medium quoddam est capiendum, quod eleganter describit S. Hieronymus. *epist. 2. ad Nepot. cap. 11.* *Vestes pullas aequè devota ut candidas. Ornatus & sordes pari modo fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Non absque amictu lino incedere, sed pretium vestium linearum non habere laudabile est. Alioquin ridiculum, & plenum dedecoris est, referto marsupio, quod sudarium, orariumque non habeas, gloriari. Quod monet & Eustoch. *epist. 22. cap. 12.* *Vestis, ait, nec satis munda, nec sordida, & nulla diversitate notabilis: ne ad te obviam prætereuntium turba consistat, & digito monstreris.* Unde de S. Augustino Possidius Calamensis Antistes ita scribit in ejus vita, *c. 22.* *Vestis ejus, & calceamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum: quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere: ex utroque, non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes. At iste beatus, ut dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans.**

Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

Id sapienter docet S. Basil. *homil. 24.* quæ est de legendis libris Gentilium: *Comarum, inquit, aut vestium extra necessitatem curam gerere, vel infelicitum est, ut ait Diogenes, vel injustorum. Nam cincinnatum & comptum esse, atque appellari, aequè turpe censendum assero, atque impudicum esse, aut alienis nuptiis insulari.* Quid enim apud eum, qui sapit, differre potest tenuem, sumptuosamque vestem induere, an vilem ferre, modò satis hæc ad frigus, caloremque arcendum fuerit? Et ad hunc modum etiam in reliquis quicquid necessitatis usum excedit, vitandum, neque corpori plus ornatus dandum est, quàm quantum animæ profit. Nam viro generoso, & verè hac digno appellatione, non minus fuerit probum lascivè ornari, aut corporis curam supervacuum gerere, quàm alia aliqua nota, seu affectu pravo per ignaviam affici. Omne namque studium adhibere, ut corpus quàm optimè se habeat, sese cognoscentis non est. Neque sapiens illud præceptum intelligentis, nos admonens quemadmodum non id quod aspicitur, est homo. Excellenti enim quadam opus est sapientia, per quam nostrum quilibet (quicumque sit) sese cognoscat: quæ profectò mente minimè purgatis non magis evenire potest, quàm lippienti solem aspicere. Hanc verò animæ purgationem, ut semel, & quod vobis satis sit dicam, voluptates per sensus eripiunt. Hæc † supellex Episcopi nihil aureum, aut argenteum contineat; nil in ea auro, vel argenteo ornatum existat, vel sericum, vel serico distinctum; absit colorum varietas: aulae vel tapetia, nil acu sit pictum, vel variè contextum, nec studiosè elaboratum, ut pluris sit artificium, quàm res ipsa; mensæ simplici corio, vel panno sternantur; signa, & tabulae profanæ rejiciantur, nec thalami ad usum hospitem pretiosius ornati, quàm reliqua domus existant: equi tantum necessarii alantur; in aedificiis omnem luxuriam, picturas, & inania ornamenta, ac delicias evitet; nil demum in ejus domo sit, nisi purum & simplex, quod Dei zelum, & rerum sæculi contemptum præ se ferat. Consuetudinis tamen loci ratio habenda est, ne dignitas Ecclesiastica vilescat, *cap. Episcopi, 80. dist.* maxime ubi Episcopi etiam Principes temporales sunt, vel Cardinales, me citato in hoc loco, Mauriti. Alzed. *de præcellent. Episcop. dignit. p. 1. cap. 5. num. 33.*

Inde S. Bernard. *ad Episcopum Londonien. epist. 24.* sic ait: *Non licet tibi de facultatibus Ecclesie luxuriari, & in superfluitatibus consumere, sed solum vivere: non licet ditari, non licet consanguineos extollere, non licet palatia ædificare. Denique quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et Chrysost. *homil. 15. ad Timoth. 1.* sic ait: *Ego audacter dixerim, Ecclesie Præsules nihil præter victum, & vestitum habere oportere, ne ad ista trahantur desiderio. Honorificabimus autem (inquit Bernard. *epist. 28.*) non cultu vestitum, non equorum fastu, non amplis aedificiis, sed gravitate morum, maturitate consiliorum, actuum honestate, studiis spiritualibus, & operibus bonis. Pastores enim pomparum sæculi sectatores destruunt illud Ecclesie encomium, Cantic. 1. *Nigra sum, sed formosa, nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me Sol, idest Christus: quod ad litteram significat Ecclesiam esse exterius quidem nigram ob Crucis mortificationem, & contemptum externi fulgoris, interius tamen formosam, propter donorum celestium pulchritudinem.**

Vos, o Præsules, de vestibus ne gloriemini, tinea hujus vos gloriæ voluptate privabunt. Videte quàm incerta, quamque instabilis sit præsentis vitæ gloria: gloriantur gentes in re, quam vermes & gignunt, & perdunt, ut ponderat religiosissimus P. Fr. Dominicus de Jesu MARIA in *sententiaro spirituali, p. 1. cap. 8. punct. 5. n. 7.* Igitur si sanctorum Conciliorum decreta veneramini, illud in primis decretum Concilii Carthag. IV.

thag. IV. (cui Beatus August. interfuit) in imo corde defigite, ubi sic habetur : Episcopus vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ autoritatem fide, & vitæ meritis quærat. Et in Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 1. ita cautum est : *Episcopi modesta supellectili, mensa ac frugali victu contenti, caveant ne in tota eorum domo aliquid appareat, quod non simplicitatem Dei, zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Hoc sequendum est documentum, & antiqua Sanctorum Patrum in hac re exempla, ita ut damnanda sit eorum singularitas, qui audacter documentis, & exemplis antiquorum Patrum contradicunt, & allegantes oportere temporari servire, quasi Spiritus Christi Evangelica norma mutari debeat cum tempore, ac opinionibus, & affectibus hominum servire, cum potius omnia tempora sint Evangelicæ institutioni conformanda, & juxta normam Evangelicæ atque Apostolici Spiritus reformanda.*

12 Quoniam Joannes Gerl. in secunda parte suorum operum collegit egregium opusculum, cujus titulus est de temperantia, & modestiâ Prælatorum, in quo multa scitu dignissima ad hoc institutum refert, & ab eo in unum collegit utilissima noster Præsul insignis sanctitatis, & spectatæ virtutis vir Dom. Fr. Bartholomæus à Martyribus, operæpretium existimavi paucissimis verbis summam illorum comprehendere. Statuunt igitur hanc conclusionem : Expedientius & efficacius est Prælatum declinare ad austeritatem vitæ in mensa, vestibus, & numero servitorum, & reliquis pertinentibus ad statum suum, quàm hominibus sæcularibus in talibus conformari. Quam quidem conclusionem multis probant, & duo, quæ potissimum Prælatos ad illam non sequendam movere poterant, in medium adducunt, illisque suo ordine eleganter respondent.

13 Non igitur spiritualis profectus subditorum potest Prælatos hujus temporis movere, ut ab illa discedant conclusione ; quia constat hac ratione eos nihil proficere, cum hujusmodi pompa plus scandalizet homines sæculi, tam Principes, quàm alios omnes, quàm ædificet. Ex hac enim concitantur ad murmurationem, invidiam, cupiditatem, indignationem, &c. Habent enim ex præcepto B. Petri 1. cap. 5. *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.* Unde propter hoc tenentur esse forma humilitatis, & sobrietatis. Viventes autem fastuosè, potius sunt forma ambitionis, cupiditatis, vanitatis, dum hoc ipso subditos suos ad similia compellunt. Exemplum enim Prælati quodammodo cogit ad similia, juxta illud Pauli ad Galat. 2. *Tu cogis gentes judaizare, &c.* Sed quorsum attinet ad hoc Scripturas allegare, cum experientia hoc ipsum evidenter clamet? nam unde tanta devotio Principum, & aliorum sæcularium ad antiquos Prælatos, tantaque reverentia, nisi quia tales pompas vilipendebant ; tum etiam, quia videbant eos esse fideles dispensatores bonorum Ecclesiasticorum, largissimè eis communicabant divitias suas. Postea verò videntes eos in pompis eas consumere, non solum retraxerunt manum, sed ipsa etiam Ecclesiastica bona invaserunt. Sed ut excusentur, fortè dicent : Sic vivimus, ut conformemur iis, cui vivimus. Ad hoc respondet noster Apostolus ad Roman. 12. *Nolite conformari huic sæculo, &c.* Nec deferendum est malignantibus : quia, ut inquit Plutarch. in aphor. *regium est audire malè, cum feceris bene : & Salust. à laudatis laudari, & ab improbis improbari æqua laus est : & Min. Malis displicere laudari est. Nondum felix es, jungit ille, si nondum te turba deridet.* Et ideo de seipso suæ beatitudi- ni attribuens dicebat Seneca de vit. beat. cap. 23. *Mihi (quod argumentum est recti) contingit malis displicere.* Dicunt etiam : Sic vivimus, ne inter alios erubescamus : cui respondetur, quod non est erubescenda humilitas Christi, neque vilitas, quæ propter eum sustinetur. Dicunt deinde : Sic vivimus ne reputemur

16 avari, & hypocritæ, si fuerimus in talibus cæteris par- ciores. Hæc ratio vim haberet aliquam, si non esset alius modus rationabilior, & justior, per quem à cordibus hominum hanc opinionem evellerent. Verissimum enim est oportere Prælatos amovere debere à se suspicionem avaritiæ, & hypocrisis, cum debeat proximis bonam famam, sicut Deo bonam conscientiam. Unde fateor, quod si Prælatos parè vivit, & nihilominus mille modis extorquet pecunias, & thesaurizat, iste sine dúbio abominabilior est coram Deo, & coram hominibus contemptibilior, quàm illi, qui splendide vivunt. Quamobrem ita vitam suam instituere debet, ne avarus æstimetur, & pecuniæ congregator.

14 Nec etiam poterunt Prælati moveri ad hoc genus vi- vendi splendidum propter Ecclesiæ autoritatem, quia cum honor sit præmium virtutis, ipsi tenentur oves suas ducere, ut homines præcipuè propter virtutem hono- rent, non propter fastum, & pompam. Unde exquirentes honorem hac ratione docent errare oves suas, scilicet ut putent splendorem vitæ veram esse causam ho- noris. Hinc Dominus Luca 16. dicit, *quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Beatus Jacob. cap. 2. damnat illos tanquam acceptatores personarum, qui honorant divites ob vestem fulgidam, &c. & spernunt pauperes : & Bernard. ad Eugenium lib. de considerat. *Tu Pastor procedis deauratus tam multa circumdatus varietate. Oves quid hic capiunt? Si auderem dicere, demonum magis, quàm hominum pascua hac. Siccine faciebat Petrus? Sic Paulus suadebat? Absque his crediderunt Apostoli, & Apostolici viri posse impleri salutare illud mandatum : Pasce oves meas, Joan. 21. Neque enim sine Episcopali honore, & gloria Apostoli fuerunt, qui tamen dicere potuerunt, ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Et illud Act. 3. *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* Item si Episcopi in hoc zelant autoritatem Ecclesiæ, cur suos curatos in sordibus, & abjecto statu derelinquunt, imò & aliquando nudari patiuntur? His etiam addo, quod principes, ac nobiles potius irrident, quàm reverentur fastum hunc : pauperes autem minus audent ad tales accedere, ut ab eis pastum vitæ suscipiant. Et videntes eos in otio, & epulis vivere, se verò egenos, & in laboribus vitam ducere, invident eis, atque detrahunt : quos si viderent in humilitate vivere, amarent, atque eorum exemplo labores suos æquanimitè ferrent.*

15 Si enim ex omnium Philosophorum, & gentium communi consensu uni tantum virtuti honor, dignitas, autoritas, & reverentia debetur, quòd virtus rerum omnium domina sit, ac regina : quo jure magis hanc Episcopi autoritatem promereri poterunt, quàm virtutis, ac sanctitatis præstantiâ? Nam qui divitiis, qui vestibus, qui fastui exhibetur honor, is planè falsus, indignus, & fucatus est. Rectissimè enim à Seneca dictum est : *Non faciunt equum meliorem aurea frena, nec hominem meliorem fortuna ornamenta.* Quemadmodum enim in auro, & gemmis, & in ipsa etiam corporum pulchritudine cernere licet aurum aliquod verum, aliquod autem adulterinum ; gemmas item veras, & adulterinas ; corporis etiam pulchritudinem veram, à naturaque ipsa tributam, aliam verò arte, fallaciis, & fucò quæsitam : ita sanè mirari nemo debet, si honor aliquis, atque autoritas vera sit, quæ meritis, & virtute comparatur : fucata verò alia, quam stulti & imperiti rerum æstimatores opibus & potentia tribuunt. Quare Episcopi Ecclesiæ Principes, veris bonorum fontibus omissis, qui virtute & vitæ integritate comparantur, fucatos & fallaces, qui inanissimis splendoris insignibus adipiscuntur, exquirere non debent. Id enim calamitosa illa ætate sub Antiocho tyranno, quando Sacra omnia violata sunt, contigisse memorant historiæ Machabæorum

bazorum 2. cap. 4. cum Principes populi & Sacerdotes patrios honores pro nihilo habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur: patrii enim honores erant, qui virtuti, qui Religioni, qui Fidei, & meritis vitæ reddebantur, quibus cum Sacerdotes destituti essent, ad falsos hominum titulos, nempe opes, apparatus, pompasque Ethnicorum confugiebant.

16 De primo Israëliti populi Principe Moyse non ab hominibus, neque per hominem, sed à Deo electo, in ejus vita Philo Judæorum disertissimus lib. 1. scribens, sic ait: *Solus hic omnium, qui unquam principatum gesserunt, non auram, non argentum in thesauros condidit, non tributa exegit, non palatia, non latifundia, non greges, non famulitia, non redditus, non alias opes sibi paravit, quamvis posset habere omnium harum rerum copiam; sed existimans animam pauperis indicium esse mirari materiales divitias, has quidem ut cacas contempsit, illas verò naturales, perspicacesque honoravit: in vestitu, victuque quotidiano nihil præ se ferens fastus tragici, sed simplicitatem, frugalitatemque exercens privati hominis. Regem autem in his solis agebat, quæ verè sunt regia, ut sunt continentia, fortitudo, sobrietas, solertia, prudentia, scientia, industria, tolerantia, justitia, voluptatis contemptus, ad virtutem exhortatio, objurgationes, castigationesque peccantium, legitime & rectè facientium laudes atque præmia.* Hactenus ille. Sed ut in viro singularibus favoribus à Deo cumulado non ita mira hæc videri possint, & quæ ita facilè omnes imitentur

17 eadem gratia non suffulsi, videamus † an & ex Gentilibus inveniri possint, qui paria quasi fecerint: & certè numerus non omninò paucus sese perscrutantibus offert, nobis tamen paucos adducere satis est. Socrates sibi gratulabatur, quòd juxta naturam vivens, ac paucis assuetus, aurum, purpuram, gemmas, ebur, zaulæa, reliquasque divitum delicias nec cuperet, nec egeret, quas dicere solebat magis necessarias agendis tragœdiis, quàm ad usum vitæ. Bruson. lib. 5. cap. 22. & refertur in theatro vite humana, tom. 1. lib. 5. pag. 863. Caria regina cum ad Alexandrum Macedonem multa obsonia, ferula oppipara, coquosque optimos misisset, his haud opus esse Alexander Macedo dixit, cum cibo communi, pane & aqua latrantem sibi stomachum conciliare posset. Bruson. lib. 1. Facetiarum. Alcamenes Teleucii filius, rogante quodam cur adedè parcè viveret, tantas opes possidens? *Quia, inquit, qui multa possidet, non est libidine, sed ex ratione vivere debet.* Bruson. lib. 5. c. 22. Alexander Severus Augustus, & Princeps orbis, in conviviis suis anrum planè nescivit, Pontan. cap. 2. de splendore. Si ergo terreni illi Principes Christum ignorantes, & in ipsis adhuc infidelitatis, & idololatriæ tenebris agentes, solo rationis lumine hoc & viderunt, & sequuti sunt: quis ferat Episcopum pauperis Christi vices getentem, & exemplo, atque doctrina sua homines ad contemptum terrenorum honorum adhortantem, inter epulas, & magnifica convivium, interque cæteras aureas & argenteas, splendidasque ministrorum cætervas vitam agentem? Sed ne inopes exemplis ex nostris videamur, afferre libet quæ & multò ditiores fortè nos ostendere possent.

18 De Divo Martino (quem Apostolis parem fuisse canit Ecclesia) in ejus vita scribit Sulpitius: *Factus verò Episcopus Turonensis idem constantissimè perseverabat, qui prius fuerat, eadem in corde humilitas, eadem in vestitu vilitas, atque ita implebat Episcopi dignitatem, ut propositum Monachi non desereret.*

19 De Divi verò Augustini ornatu, frugalitate, & parsimonia scribit in ejus vita Possidonius in hunc modum: *Mensa usus est frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores continebat. Cochlearibus tantum argenteis utens, cætera vasa, quibus mensæ ejus cibi inferebantur, vel testea, vel lignea, vel marmorea erant, non necessitatis inopia, sed proposito volunt.* Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

tatis. Denique morti jam proximus testamentum nullum facit, quia unde faceret, pauper Christi non habuit.

De Divo Basilio sic scriptum legimus: *Erat autem Basilius in victu & cultu abstinentissimus, una tantum tunica amiciebatur, humi cubitabat, totis sæpè noctibus vigilabat. Demùm obiit corpore per abstinentiam consumpto, cum ossibus, ac pelle tantum superstes esset.*

De sancto Exuperio ita scribit Hieronym. epist. tom. 1. *Sanctus Exuperius Tolosa Episcopus, vidua Sareptensis imitator, esurientes pascit alios, & ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Hujus sectare vestigia, & cæterorum, qui virtutis illius similes sunt, quos Sacerdotium & humiliores fecit, & pauperes. Quid hoc exemplo mirabilius, quis non obstupescat corpus Domini, quod nec ipsis quidem Angelorum manibus pro dignitate tractetur, canistro vimineo circumferri? Quo affectu ferebatur in pauperes Christi, qui Christum tam humili vase circumferebat? Quomodo suis parceret facultatibus, ut pauperes alere posset, qui nec ipsis quidem altaribus pepercit? Quomodo splendidam domum, atque familiam, esurientibus pauperibus aleret, qui ut argentes, nudosque vestiret, altaria quoque ipsa nudavit? Tales ergo Præsules istis suis exelis corporibus, ista vitæ sobrietate, & parsimonia adversus mundi Monarchas Ecclesiam Christi tutati sunt: nos utinam eorum labore conservatam, & auctam retineamus. Sed ad hoc certissima via est eorum inhærere vestigiis, quando (ut nobilis ille historicus dixit) imperium eisdem artibus retinetur, quibus initio partum est. Quæ ubi defuerunt, nec ipsa quidem caput mundi Roma stare diu potuit: imperium enim summis laboribus, & inedia partum, non durus Annibal, aut crudelia bella, sed luxus, & opulentia bellis perniciosiora dissolverunt.

Nulla poterit se tueri excusatione, qui adversus prædicta Sanctorum Patrum exempla temporum diversitatem objiciat, quia etiam si alicujus fortallè momenti esset si cum tempore aut fortunæ pauperum, aut morès hominum mutarentur; tamen cum eadem sit pauperibus indigentia, eadem in hominibus morum corruptio, eadem ambitio, avaritia, luxus, fastus, & intemperantia, easdem causas eodem modo semper operari, hoc est ad idem inclinare necesse est. Non ergo fastus fastu, non luxus luxu, non opes opibus, non deliciis deliciæ; sed humilitate fastus, sobrietate luxus, paupertate avaritia, & asperitate deliciæ superandæ sunt. Quis autem adedè mentis inops est, qui non videat omnia mundi vitia cum tempore adolevisse; quando enim tot hæresum monstra Ecclesiam ita infestant, vexarunt, ac penè opprellerunt? quando ita luxus, avaritia, ambitio, libido, deliciæ, ludi, epulæ, splendor vestium, cæteraque vitiorum irritamenta, & cupiditas ipsa (malorum omnium seminarium) inundaverunt? Quantum verò Ecclesiæ proceres, & ministri (qui his malis opem ferre debuerunt) à majoribus suis hoc ipso tempore degenerarunt, sive probitatem spectare velis, sive docendi facultatem, sive eleemosynarum largitatem, sive sobrietatem vitæ, sive infractum animum ad omnia pro sibi commissio grege pericula subeunda? Denique si Divo Cypriano credimus, quòd mundus magis ad finem properat, eò magis velut senectute, ac vetustate conficiente in deteriora prolapsus est. Sic enim scribit adversus Demetrianum: *Breviatur in dies singulos, & decrefcit, ac deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina.* Putasne in tantam posse substantiam rei senescens existere, quanta prius potuit novella adhuc, & vegeta juvenia pollere? Minuatur necesse est quicquid, sine jam proximo, in occasidua, & extrema devertit. Sic Sol in octafu suo radios

minus claro, & igneo splendore jaculatur: sic declinante jam cursu, exoletis cornibus luna tenuatur, & arbor quae fuerat ante viridis, & fertilis, arescentibus ramis sic postmodum sterili senectute deformis. Et fons qui exundantibus prius venis largiter profuebat, senectute deficiens vix modico sudore distillat. Hac sententia mundo data est, haec Dei lex est, ut omnia orta occidant, & aucta senescant, ut infirmentur fortia, & magna minuantur, ut cum infirmitate, & diminuta fuerint, finiantur. Haecenus Cyprianus. Si igitur eam temporibus omnia pariter mala creverunt, majore ergo virtute, prudentia, sollicitudine, vigilantia, temperatione, ac disciplina eget quisquis tot malis corrigendis, atque curandis praefectus est. Meliori enim nauclero in saeviori tempestate, & peritiori medico in graviore aegritudine, praestantiorique duce in desperata victoria opus est. Quare non habet quisquis fastuose vivit, & quotidie splendide epulatur, magnosque famulorum greges alit, & in hoc tam magnos Ecclesiae redditus pauperibus profuturos infumit, quo se illa ratione taceatur.

- 23 Eleganter hoc ipsum apertissimis declarat verbis, omnemque penitus excusationis ansam praeripit Concilium Trid. sess. 23. de reform. c. 1. in haec verba. Optandum est, ut ii qui Episcopale ministerium suscipiunt, quae sua sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si prepositos suos viderint non ea quae mundi sunt, sed animarum salutem, ac caelestem patriam cogitantes. Haec enim ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam praecipua esse Sancta Synodus animadvertat, admonet Episcopos omnes, ut secum ea saepe meditantes, factis etiam ipsis, ac vita actionibus (quod est veluti perpetuum quoddam praedicandi genus) se muneri suo conformes ostendant: in primis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiae, continentiae, ac (quae nos tantopere commendat Deo) sanctae humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthagenensi, non solum iubet, ut Episcopi modesta suppellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitae genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum praesferat.

GLOS. VIII.

Pudicum.

SUMMARIUM.

- 1 Castitas pretiosissima omnium, maximaeque possessio.
- 2 Pudicus ille est, qui non modo corpus illibatum conservat, sed qui neque intuitu, voce, vel gestu levitatem ostendit.
- 3 Pudicitia in primis est habenda, qua amissa, omnis virtus corrumpitur.
- 4 Libido sevens criminum stimulus est.
- 5 Impudicitia quid sit? ostenditur.
- 6 Pudicitia frustra ostentatur sine temperantia.
- 7 Castitas omnibus per necessaria, sed maxime Ministris Christi Altaris.
- 8 Castitas dignitas magna.
- 9 Castitas hominem Deo simillimum reddit.
- 10 Apostoli, excepto Petro, inter castos agmen ducunt.
- 11 Discipuli Apostolica castitatis emulatores fuerunt.
- 12 Paulus Apostolus perpetuum coluit celibatum.
- 13 Sanctus Cyprianus a suae conversionis initio castitatem coluit.
- 14 Sanctus Augustinus vigilantissimus fuit castitatis cautor.
- 15 Sanctus Gregorius Nazianzenus in virginis aetate

rem summo opere exarsit.

- 16 Ursinus Presbyter ea fuit castitate, ut nec quidem a sua muliere sibi ministrari patereur.
- 17 Castitas, sicut omnes virtutes, donum Dei est.
- 18 Continens nemo potest esse, nisi Deus det.
- 19 Castitas, Dei gratia occurrente, nobis operantibus tuenda est.
- 20 Carnis afflictiones diversis poenitentiae operibus fugiende.
- 21 Evaristus Presbyter hiernis noctibus in puteum se demergebat, ut carnis afflictiones effugeret.
- 22 Sanctus Franciscus nudum corpus in nivibus volutavit.
- 23 Castitatis amor in intimis animi recessibus occultari non potest.
- 24 Mulierum familiaritatem diligenter cavendam esse, Sanctissimorum hominum factis illustratur.
- 25 Mulieres sunt via iniquitatis.

MAGNUS Basiliius lib. de Virginitate, repetitis, & elegantibus verbis suos hortatur, ut castitatem pretiosissimam omnium, maximamque possessionem, naturalem divinae effigiei pulchritudinem, quae hominem incorruptibili Deo simillimum facit, tenere ament, arcte complectantur, caute custodiant. Et noster Apostolus perpetuus castimoniae cultor, & laudator eximius suum amantissimum hortatur Timotheum, ut sit pudicus. Hanc vocem, pudicum, id est verecundum, interpretantur ibi Anselmus, & quidam Latini; quique nihil admittat, quod castitati ullo modo repugnet. Tertullianus lib. de cultu foeminarum, ita de pudicitia scribit: Cum omnes templum simus, illato in nos & conservato Spiritu sancto, ejus templi aditus & Antistes pudicitia est, quae nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem derelinquat. Hoc ait S. Hieron. lib. 1. adversus Jovinian. cap. 20. significat *Καθαρὰ*, ornatum castitate, & moribus, ut nimirum non modò corpus illibatum conservet, sed neque intuitu, voce, gestu levitatem castimoniae inimicam, & probrosam ostendat; quia in omni gradu, & sexu tenet pudicitia principatum. Unde Apostolus ad Timoth. cap. 4. vers. 12. Esto exemplum fidelium in castitate, ut vel ex te uno discant, quam pure, & integrè vivendum sit. Et cap. 5. vers. 1. cavet ut necessitatis, ac monitionis tempore cum junioribus foeminis agat in omni castitate, hoc est, eximia mentis, aspectus, sermonis, operis puritate, ubi S. Chrysost. homil. 13. in omni castitate: Non modò, ait, obsceni congressus vitium cave, verum omne suspitionis, vel obsceni aditum claude, quia adolescentularum colloquia turpi suspitione difficile carent. Et idem Apostolus ad Titum 1. vers. 7. ait: Oportet eum esse continentem, ubi S. Hieron. in comment. intelligit, id est, ab uxoris amplexibus: quod etiam in Concilio Carthagenensi II. cap. 2. statutum fuit in haec verba: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiae custodes etiam ab uxoribus se abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus: habetur in c. cum in praeterito, & in cap. seq. 84. dist.

Doctissimi viri, inquit S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. 3. cap. 30. vox est, pudicitiam in primis esse retinendam, qua amissa, omnis virtus ruit.

Unde S. Ambrosius de Caino, & Abele cap. 5. sic ait: Sevens criminum stimulus libido est, quae nunquam manere quietum patitur affectum; nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, a negotio abducit, a ratione revocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis, nisi morte amantis extingui non potest.

Et S. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 31. impurissimae hujus bullae execrandos foetus enumerans: De impudicitia,

citia, inquit, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, timor autem, vel desperatio futuri generantur. Et S. Ambrosius in cap. 4. Luca, sic ait: Etenim quasi clavis suffigitur anima corporeis voluptatibus, & cum semel adhaerit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei favore revolare. Actuum enim suorum vincula laqueis, & secularium deliciarum illecebris obnoxia jam tenetur.

6 Unde S. Hieron. epist. 10. ad Furiam, cap. 3. affirmat frustra ostentari pudicitiam sine temperantia. Quid, inquit, necesse est nos factare pudicitiam, quæ sine comitibus, & appendiciis suis continentia, & parcitate, fidem sui facere non potest.

7 Hinc S. Augustinus serm. 249. de tempore. Ordinibus, inquit, castitas pernecessaria est, sed maxime ministris Christi Altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis prædicatio. Tales enim decet Dominum habere Ministros, qui nulla contagione carnis corrumpantur, sed potius continentia castitatis splendideant, & totis honestis fulgeant in populo exemplis. Magna enim est castitatis dignitas, ut inquit S. Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiep. in hæc verba: Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed & si illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore statum quandam immortalis gloriæ representat. S. Cyrilus Hierosolym. catechesi 12. illuminatorum: Non ignoremus castitatis gloriæ, Angelica enim est corona, & super hominem hæc perfectio: parcamus corporibus, quæ lucere debent sicut Sol, ne propter parvam voluptatem, tantum, ac tale corpus polluamus. Parvum enim est ad horam peccatum, longeva autem est ex eo, & æterna verecundia. Angeli obambulantes in terris sunt castitatis operatores. Beatus Ambrosius lib. 1. de Virginitate. Neque mirum, ait, si pro vobis Angeli militent, quæ Angelorum moribus militatis. Castitas enim Angelos fecit: qui eam servavit, Angelus est: qui perdidit, diabolus. S. Basilius lib. de Virginitate. Magnum revera quiddam, ait, ac præclarum virginitatis est, quæ ut totum simul explicem, hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Hæc autem perfectio non a corporibus ad animas manat, sed cum incorporealis anime propria & præcipua sit, ejus pretiosissima integritate corpora quoque incorrupta servantur. Et quia castitas hominem Deo simillimum reddit, fecit & charissimum, quia morum similitudo amorem conciliat & glutinat, quæ charitate Deo intime coheret: Deus enim charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, Joan. 4.

9 Deo simillimum hominem reddit castitas, non modo enim ipse auctor & hortator, sed etiam Ecclesiasticis præcipue, & castissimis castorum sponsus esse voluit, cujus exemplo Virgines ita exhortatur S. Augustinus lib. de Sanct. Virgin. cap. 27. Sequimini Agnum, quia & Agni caro nique Virgo. Hoc enim in se renuit auctus, quod matri non abstulit conceptus & natus. Merito eum sequimini virginitate cordis & carnis quocunque ierit. Et S. Ambrosius lib. 1. de Virginitate. Quid est, inquit, castitas, & virginitas, nisi experta contagionis integritas? neque ejus Auctorem, quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei filium, cujus caro non vidit corruptionem, divinitas non est experta contagionem? Christus Virgo Virginis sponsus. Inter castos agmen ducunt Apostoli, de quibus S. Hieronymus lib. adversus Jovin. cap. 14. Excepto Apostolo Petro, cum non sit manifeste relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint, intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet. Assumpti in Apostolatum relinquunt officium conjugale, ex quorum persona Petrus dixit ad Dominum, Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & se-

quuti sumus te, inter quæ omnia & à Christo numeratur uxor. Et in fine Apologiae sue pro libris in Jovinianum ad Pammachium. Christus Virgo, Virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicavere. Apostoli vel Virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut ceteri post Sacerdotium in æternum pudici.

Ejusdem Apostolicæ castitatis æmulatores fuerunt ipsorum Discipuli, ut referunt S. Cyprianus hæresi 58. & Tertullus lib. de Monogamia. De sancto Luca, & Marco ita scribit S. Hieron. in catalogo Scriptorum Eccles. Vixit Lucas octuaginta & quatuor annos, uxorem non habens: Marcus primum Alexandria Christum annuntians, constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vita continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret.

Clemens, Timotheus, & Titus virgineum illud lac ex castissimis sui Magistri Pauli Apost. uberibus luxerunt, quem perpetuum coluisse cœlibatum testes sunt Tertullus lib. utroque ad uxorem, Epiphanius hæresi 58. Hieronymus epist. 22. ad Eustoch. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 4. Hilar. in Psal. 127. Ambrosius in cap. 7. prioris Corinthiæ, Chrysostomus Theodor. & alii Græci in cap. 4. ad Philippenses.

Cyprianus à suæ conversionis initio castitatem coluit, de quo S. Hieronymus in catalog. Scriptorum Ecclesiasticorum, ita scribit: Pontius Diaconus Cypriani, usque ad diem passionis ejus cum ipso exilium sustinens, egregium volumen vite & passionis Cypriani reliquit, de quo in hoc volumine Pontius ita loquitur: Inter fides suæ prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, quam si continentiam tueretur. Tunc enim idoneum posse fieri pectus, & sensum ad plenam veri capacitatem pervenire, si concupiscentiam carnis robusto atque integro Sanctimonie vigore calcaret.

Sanctus Augustinus castitatis fuit vigilantissimus cautor, de quo in ejus vita ita scribit Possidonius ejus discipulus, cap. 26. Fœminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, nec quidem germana, quæ vidua Deo serviens, multo tempore usque in diem obitus sui preposita ancillarum Dei vixit, sed neque patris sui filia, & fratris sui filia, quæ pariter Deo serviebant: quas personas Sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò nunquam debere cum servis Dei, etiam castissimis, in una manere domo, ne aliquod scandalum, vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus, & ne tentationibus humanis paterent. Et sequenti cap. 27. pergit narrare idem Possidonius in hæc verba: In visitationibus vero modum tenebat ab Apostolo definitum Jacobi 1. ne non nisi pupillos, & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si forte ab aliquibus fœminis, ut videretur, vel salutareretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus nunquam est loquutus, nec se secretorum aliquid interesset. Et si forte ab egrotantibus ad hoc peteretur, ut pro eis in presenti Deum rogarer, eisque manus imponeret, sine mora peragebat. Fœminarum autem monasteria non nisi urgentibus necessitatibus visitabat. Unde ipse Augustinus lib. 8. Confession. cap. 12. amarissima cordis contritione lacrymarum flumina profundens, meliorem utique vitam ut inchoaret, submississime Deo supplicans, tantum etiam beneficium consequutus, ita Deum continentie largitorem alloquitur: Convertisti ita me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam spem sæculi huius.

S. Gregorius Naz. in carmin. de calamitate anime sue: Mibi, inquit, in somnis aliquando hujusmodi quiddam videre visus sum, & ex quo facile in virginitatis amorem exarsi. Virgines duæ in propinquo stabant candidis vestibus indute, amba formosæ, atque ejusdem ætatis, quarum zona substringebantur, sequæ ad talos usque demittebant. Ad hæc ipsæ capitis velo non modo caput, sed genas quoque ipsas obtexerant, oculosque in terram defixos tenebant. Quarum ex aspectu mira sanè voluptate per-

fusus sum: sic enim mihi persuadebam eas humana conditione multo majores, atque augustiores esse. Haec porro quoniam me aspectu suo exhilaratum senserunt, erga me quoque benevolentia affici, neque perinde ac filium suum amplecti coeperunt. Percunctantique mihi quam essent, unde venissent, altera castitatem sibi nomen esse dixit, altera temperantiam, quae Christo Regi assistentes caelestium Virginum pulchritudine delectarentur. Atque ad me conversa: Age, inquit, fili, mentibus nostris mentem tuam, & faciebus faciem junge: ita futurum est, ut te eximio quodam, & singulari splendore praeditum in caelum feramus, atque juxta immortalis Trinitatis fulgorem collocemus. Hac habita oratione per caelum ferebantur.

16 Ursinus Presbyter, ut refert S. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 11. ea fuit castitate, ut ne quidem à sua muliere sibi ministrari pateretur, quae cum aurem admovisset jam moribundo, & animam agenti, ut num vitalis adhuc in eo spiritus esset, exploraret, ille collectis viribus in hanc vocem erupit: Recede à me mulier, adhuc igniculus vivit, tolle paleam, & sic visis Apostolorum Principibus Petro, & Paulo, eorum invitatu, & comitatu in caelum evolavit. Et idem Greg. lib. 3. dialog. c. 16. refert de Martio, sive Martino solitario, quod è petra ei aquam necessariam praebuerit Deus, qui cum decrevisset mulierem ultra non videre, quaedam hoc cognito ad ejus speluncam audacter accessit, & cum humi depressa facie deprecantem, ejusque conspectum fugientem ad fatigationem usque intuita fuisset, eodem die mortem obierit, eo quod Dei famulum improbo ausu contristasset. In Prato igitur Spiritualis Ioannis Evirati, c. 2. 17. dixit senior quidam: Filiole, sal ex aqua est, & si appropinquaverit aqua, continuo solvitur, & deficit; ita monachus similiter ex muliere est, itaque si appropinquat mulieri, solvitur & ipse, atque in id desinit, ut jam Monachus non sit.

17 Sicut omnis virtus, ita & castitas donum Dei est. Unde & ipse Paulus Apost. deprecans carnis stimulum, audivit à Domino: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Et S. Augustin. lib. 10. Confess. c. 29. his pro castitate obtinenda Deo verbis supplicat: Tota spes mea, Domine, non nisi in magna valide misericordia tua. Da quod jubes, & jube quod vis. Impera nobis continentiam. Et cum scirem, ait quidam (scilicet Salomon. Sap. 8. vers. 21.) quia nemo potest esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cujus hoc esset donum, adii Dominum, & deprecatus sum illum. Per continentiam quippe colligimur, & redigimur in unum, à quo in multa defluximus. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris. Caritas Deus meus accende me. Continentiam jubes, da quod jubes, & jube quod vis. Hinc Origen. Qui vult, ait, capere verbum quod de castitate positum est, petat credens dicenti, Omnis qui petit, accipit. Matth. 7. ubi volentibus gratia non denegatur, cum tibi Dominus dicit: Petite, & dabitur vobis, &c. Hinc S. August. in Psal. 137. Votum vovit Deo Iacob. Nemo, ait, presumat viribus suis reddere quod voverit: qui te hortatur, ut voveas, ipse adjuvat, ut reddas. Quod se ante conversionem suam non intellexisse deplorat lib. 6. Confess. c. 11. Propriarum, inquit, virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius, cum tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum est Sap. 8. nemo posse esse continentem, nisi tu dederis. Utique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida jactarem in te curam meam.

19 Quare, ut Dei gratia concurrente, nobisque operantibus illibatam castitatem tueamur, eamque adminiculis, & praesidiis sustentemus, & conservemus, efficax est adjumentum, ut quis cum Apostolo 1. ad Corinth. 9. castiget corpus suum, & in servitutem redigat, dicatque sibi cum S. Hilarione, cujus sensus titillabat diabolus, & pubescenti corpori voluptatum incendia suggererebat. Ego (ut refert Hieronym. in ejus vita) aselle

faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam, & sui: gravi onerabo pondere: per astus indagabo, & frigora, ut cibum potius, quam lasciviam cogites. Herbarum ergo succo, & paucis carycis post triduum, vel quatrimum deficientem animam sustentabat, orans frequenter, & psallens, & rastro humum fodiens, ut jejuniorum laborem labor operis duplicaret. Neque dicti hujusmodi à diabolo carnis stimuli, & afflictiones in fervente adolescentia, sed etiam in frigescente senectute bonos opprimunt, hic enim ignis non nisi morte extinguitur: unde S. Gregor. Nazianz. in carmine de vita sua calamitate, ægre ac vix senex multis lacrymis, vigiliis, & orationibus, aliisque asperimis exercitationibus, & macerationibus, & exacta monastica disciplina carnis stimulos coercere potuit. Et S. Hieron. epist. 21. ad Eustochium, de custodia virginitalis cap. 3. sic ait: O quoties ego ipse in vasta solitudine, & Solis ardoribus exusta, putabam me Romanis interesse deliciis! sordebam solus, quia amaritudine repletus eram: horrebant sacco membra deformia, quotidie lacryma, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda homo vix ossa herentia collidebam. Pallabant ora jejuniis, & meis desideriis aestuabat in frigore corpus, & ante hominem sua jam carne premortuum sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam. Memini me clamantem diem crebro junxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas.

Unde ad effugiendas hujusmodi carnis afflictiones 20 diversa poenitentiae opera plures Sancti egerunt.

Evaristus Presbyter hybernis noctibus in puteum, 21 S. Bernardus in lacum descenderunt, ut gelidarum aquarum frigore calorem corporis temperarent castitati infertum, ut refertur in vita ipsius lib. 1. c. 3. & 4.

Audomarus Taumanensis Episcopus in vepribus: 22 B. Franciscus nudum corpus in nivibus volutarunt, ex S. Bonavent. cap. 5. in ejus vita, ut hac castigatione voluptatem carni insitam edomarent. S. Gregor. lib. 2. dialog. cap. 2. narrat de S. Benedicto Abbate, quod malignus spiritus magno amoris igne servi Dei animum in specie feminae olim ab ipso visæ accenderit: sed ille urticarum & veprium juxta densa succrescere frutera conspiciens, nudum se in illis spinarum aculeis, & urticarum incendiis projecit, ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, & per cutis vulnera eduxit è corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. Quidam Dominicani Ordinis religiosus nomine Dominicus, à scorto sollicitatus in ardentem prunas se injecit, & illæsus permansit, ut refert Thom. Cantipr. lib. 2. Apum, cap. 30. Simile quid praestitere SS. Eremitæ Martinianus, & Jacobus, ut est apud Surium in eorum vita 14. Januar. & 13. Febr.

Et quanta iniquitas (ait S. August.) & quam lugenda 23 perversitas, ut animam, quam Christus suo Sanguine redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis diabolo vendat? Verè enim nimium plangenda, & miseranda conditio est, ubi cito praterit quod delectat, & per diabolum in cruce manet sine fine, quod cruciat. Sub momento enim libidinis impetus transit, & opprobrium infelicitis anime permanet. Ne igitur in hujusmodi incidat iniquitatem, si Sanctos praedictos carnis suae stimulos asperrime à se abjicientes imitari non valueris, bonorum saltem consortia quare, consulente S. Gregor. Nazianz. in carmine de anima sua calamitate, in fine, his verbis: Cum castitatis amor in inimicis animi recessibus occultari non posset, primum cum his hominibus vita consuetudinem contraxi, qui matrimonii vincula fugerunt, seque à mundi contagione abruperunt, ut Christum Regem animi pennis sequantur, hic non sine magna gloria pedem efferentes: hoc

ego singulari amore, ac toto pectore complectens, spei celestis duces habebam, excussaque omni hujus vite beatitudine, temperantia ac frugalitati collum subjeci. Quae quidem mei curam gerebat, me amabat, me ad amplissimam gloriam provehebat, me denique in Christi manibus accuratè collocabat. Post quaesita bonorum consortia occasiones libidinis universas devita, quod est tutissimum propugnandae castitatis asyllum, & perfugium. Fugite, ait Apost. 1. ad Corinth. 6. fornicationem. Et S. August. serm. 2. Dominica 25. post Trinit. qui est 250. cap. 1. Quod libidinem, inquit, fugiendam esse suggerimus, Apostolus Paulus evidenter ostendit, qui cum omnibus vitiis predicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit: Resistite, sed fugite fornicationem, &c. sic contra reliqua vitia Deo auxiliante debemus in presenti resistere, ibidem verò fugiendo superare. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Unde Fratres charissimi ab omnibus Christianis, praecipue tamen clericis, sive Monachis, indigna, & inhonesta familiaritas fugienda est: quia sine ulla dubitatione qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò dilabitur in ruinam. Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt praelia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur. Relicto in mulieris manibus pallio, fugæ se pudicus Joseph dedit, mulierem fugit, & vicit. S. Gregor. Nyssenus in illud Apost. omne peccatum quod fecerit homo, sic inquit: Tanta malorum multitudinis matrem videns Paulus fornicationem, victri-
cem modò solam fugam, clamabat, Fugite fornicationem. Solet fuga militis imbecillitatem proderet: in libidinis castris pugnantis fortitudo in fuga est sita. Ita S. Basilus Seleucia Episcopus homil. 8. Josephum efferens ait: Tenacibus manibus retentam permittens vestem, libidinis effugit ansas: fuga usus pro armis, tradit vestem, ut temperantiam teneat: denique nudatur veste ne nudetur à temperantia.

24 Unde mulierum familiaritatem diligenter cavendam præclaris Sanctissimorum hominum factis edocemur, & probat ex sacris litteris Alzed. de præcellent. Episcop. dignit. part. 1. c. 5. num. 3. Nam S. Thom. Aquinas Angelicus Doctor, ut est in Romano officio, & ejus vita 7. Martii apud Surium, in gravi castitatis certamine quadam eum tentante muliercula, victor evasit, & postea flexis ante Crucis signum genibus orans, ibique somno correptus, per quietem sentire visus est sibi ab Angelis constringi lumbos, quo ex tempore omnis libidinis sensu caruit: narrat Benedict. in sum. peccat. lib. 4. cap. 9. §. 1. Eremitam matri in transeundo rivo auxiliaturum, veste manum obtexisse ne eam attingeret, causamque rogatus: Caro, inquit, foemina ignis est, manus autem viri stupa, & ideo te tangere nolo, ne tentatio, aut cogitatio de aliis mihi foeminis suboriatur. Refert D. Antonin. part. 4. tit. 13. cap. 3. §. 1. accusatum apud S. Jordanum Religiosum de contacta foemina manu, excusasse se quòd pia illa esset, cui B. Jordanus: Bona, inquit, terra est, bona & aqua, si verò commisceantur, putre lutum efficitur. Christianus adolescens (ut auctor est S. Hieronymus in vita S. Pauli) superatis tormentis in amenissimo horto, nudato corpore in molli lectulo expansus fuit à scortillo irritandus, qui cœlitus inspiratus præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, & sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit: quod exemplum etiam quidam religiosus imitatus est, de quo Niceph. lib. 7. cap. 13. S. Leo Papa, cum viduæ osculandam manum præbuisset, hanc sibi præscidit, ut qua agitabatur tentatione, liberaretur, memorant S. Anton. in sum. tit. 13. cap. 3. §. 2. Joan. Naucler. tom. 2. gener. 15. Andreas Fundanae civitatis Episcopus in quale, quantumque Sanctimonialis tactu discrimen venerit, nar-

rat. S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 7. Joannem Bosnensem Episcopum cum meretricula sollicitaret, in ejus maxillam tam fortiter colaphum impegit, ut ad terram allideret, quod ei maximam apud Fredericum II. Imper. & aulicos reverentiam conciliavit, ut habet Thom. Cantipr. lib. 3. cap. 3. §. 43. Ab insolentis igitur carnis nosmetipsos defendamus, quæ nos necare conatur. De Dorotheo Monacho narrat Nicephorus lib. 1. Eccl. hist. cap. 6. quod interrogatus cur quotidie corpus suum duris, asperrimisque affligeret pœnitentiis, respondit, Quia id me necare contendit, ac si diceret: Carnem mortifico, quia caro me mortificare, & interficere quærit.

Si quis ergo vult extinguere flammam libidinis, 25 ponat inimicitias inter se & mulierem. Sufficiat igitur deceptam se à serpente hæctenus decepsisse: non det aliquis sanguifugæ sanguinem ad fugendum: se ipsam semiplenam, velit nolit, evellat à cute. Mulier certè dicitur à mollitie, quasi mollier, quod activè intelligitur & passivè, ut facillè molliat, & faciliter molliatur. Malleus etiam à molliendo dicitur, eo quòd ferrum, & alia dura molliat, & contundat, sic & mulier animos quantumcunque duros effœminat, & remollit. Unde D. Hieron. Ferreas mentes ipsa libido domat. Et Claudian.

Ferrea lascivis mollescunt corda sagittis. 26
Est igitur malleus mulier, per quam diabolus mundum molliat, & malleat universum. Si quis igitur vult ab hoc malleo fugere, mulierum conversationem evitans exeat de formace ferrea Babylonis.

Mulieres enim sunt via iniquitatis, percussio scor- 27 pionis, arma diaboli, per quas facilius confuevit fortes animos superare: flammigero igne percutit, cum proxima stipula ignem accendit: ego judico, quod spinas germinent cum viris foeminae habitantes, & in tali convictu viscarium diaboli deesse non potest. Unde præclare S. Gregorius Nazianz. in sentent. Horrendi sunt dracones, subdola aspides: utriusque feræ vim mulier amplexa est. S. Cyprian. de singularitate clericorum Morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentia pestilentiam. Et S. Chrylost. homil. 15. Et quidem ego existimo in hoc mundo nullam bestiam esse mala mulieris comparabilem. Quid inter quadrupedia leone ferius? sed nihil ad hanc. Aut in serpentibus quid dracone atrocius? sed ne hoc quidem cum muliere mala conferri potest. Adeò ut facilius feræ edomentur, quàm mulier: hinc illud ejusdem S. Patris eodem loco. Scio ego & aspides blandimentis incantantium mitigari, & leones, & tygres, & pardos domita feritate mansuescere, non item mulier mala. S. Ephræm Syrus in tract. adversus improbas mulieres, sic in eas invehitur. Leones in lacu Daniele veriti sunt, at Naboth Jeshabel occidit. Cete ventre suo Jonam servavit. Dalila verò Sampsonem septem crinibus capitis ejus abrasit tradidit alienigenis. Dracones, & aspides, ac bestia cornuta Joannem in eremo timuerunt, Herodias verò in convivio ipsum decollavit. Corvi Eliam in monte sustentarunt, & Jeshabel ipsum, post beneficium pluvia acceptum, ad internecionem persecuta est.

Attendendum est igitur, quod adversarius qui B. Job 28 filios & possessiones abstulerat universas, suam ei reliquit uxorem, non ad solatium, sed ad suæ malitiæ propositum consummandum, ut per foeminam vinceret, quem plagis, & verberibus, & infinitis tentationum generibus non potuerat superare. Nulla enim videbatur liberior, & opportunior nocendi occasio, quàm per familiarem inimicum, & domesticum proditorem; scriptum est enim: Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Sciebat utique ille inveteratus dierum malorum, quod natura mulieris quanto fragilior, tanto flexibilior est ad culpam, & ex quadam depravatione innata proclivior ad nocendum.

Hujus autem evitacionis fidem nobis faciunt ple- 29 nissimam frequens rerum experientia, & multiplicitas exemplo

exemplorum. Per feminam namque Joseph incarceratus est, Naboth occisus, Samson vinculatus, Isbofeth interfectus, Salomon factus apostata, David homicida & proditor, Sifara clavo confossus, Constantinus Imp. Leonis Imp. filius exoculatus, Heraclius Imp. Heraclii Magni filius veneno extinctus, Antigonus strenuissimus armis proditoriè jugulatus, Cyrus Rex Persarum capite truncatus, Baptista præcursor Domini decollatus. Non igitur tutum consortium mulieris, quæ teste Origene caput est peccati, arma diaboli, expulsio Paradisi, delicti mater, destructio legis antiquæ.

GLOS. IX.

Hospitalem.

SUMMARIUM.

1. Domus Episcopi debet esse commune fidelium hospitium.
2. Hospitalitas laudanda, amplectenda, & amanda, quia Deum meretur recipere.
3. Exempla sacra Scripturae, & SS. Patrum referuntur nos ad hospitalitatem maxime incitantia.
4. Munus temporale accipit is cui tribuitur, qui tribuit vero recipit donum spirituale, & coeleste.
5. Hospitalitatem ut Episcopus populo exhortetur, debet prius ipse servare.
6. Hospitalitas usque adeo in Ecclesiasticis est necessaria, ut si ab ea inveniatur alieni, jure prohibeantur ordinari.
7. Episcopus largam debet habere manum, necessitatem patientibus succurrendo.
8. Domus Episcopi ad hoc est instituta, ut omnes in hospitalitate recipiat.
9. Circumstantia quæ sint attendenda in liberalitatis executione, ostenditur.
10. Largiendi prudentia in quibus consistat, ostenditur.
11. Dalmatica latas manicas habente cur Episcopus induatur, ostenditur.
12. Episcopus hospitalitatem exercens, & eleemosynam faciens, non sua, sed aliena elargitur, & num. 13.
14. Clericus quicquid præter necessarium victum, & vestitum de altari retinet, rapinam facit, & sacrilegium committit.
15. S. Ambrosius, ut captivos redimeret, vasa Dominica conflagavit.
16. S. Joannes Alexandrinus Patriarcha cum primum decimumquartum annum ageret, misericordiam sibi desponsavit.
17. S. Augustinus omnia pauperibus erogavit.
18. S. Paulinus Nolensis Episcopus amplissimas divitias suas pauperibus largitus fuit.
19. S. Gregorius Magnus peregrinos quotidie ad mensam adhibebat.
20. Hospitalitatis, & beneficentia laus in Pralato præcipue præfulgere debet.
21. Bonum amabile, unicuique autem proprium.
22. Beneficia homines ligant.
23. Hospitalitatis, eleemosyna, & cujusvis beneficii meritum potius in animi alacritate consistit, quam in doni magnitudine.
24. Cor, & non substantiam in dando pensat Dominus.
25. Eleemosynas tenetur Pralatus dare in publico, & ad hoc ipsum ante se tuba canere.
26. Magnopere dolet Auctor, quod ubi quis in Episcopatum designatus est, protinus ad eum undique amici, & consanguinei occurrunt.
27. Episcopus debet esse sicut Melchisedech, sine patre, sine matre, & sine genealogia.

28. Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos, & malos.
29. Experiencia compertum est in Ecclesia Dei à propinquis, & consanguineis Episcoporum multa mala invecata fuisse.
30. Filios habens, & nepotes, an possit in Episcopum eligi? ostenditur.
31. Clerici bonorum Ecclesia non domini, sed dispensatores sunt.
32. Clemens IV. quam dotem filiabus legitime susceptis ante Pontificatum, & quæ beneficia nepotibus Clericis commulerit? ostenditur.
33. Pius V. Collegium Illustriss. DD. Cardinalium consuluit, possent sexcentos aureos frauris filie collocanda dare.
34. Episcopus cessante fraude, & præsumpta consanguineorum affectione poterit bona Ecclesie solita dari in emphyteusim, potius in consanguineos, quam in extraneos alienare, & modicas facere donationes, ut eis subveniat.
35. Benefacere, & egenis subvenire ita est Episcopi proprium, ut ad hoc plusquam alii ex officii obligatione, & dignitatis sublimitate teneatur.
36. Generosi animi est, & beneficii juvare, & prodesse.
37. Beneficium ingratum est, quod diu inter manus dantis hæret.



OPORTET Episcopi domum hospitium esse commune fidelium, ut in expositione hujus loci dicit Divus Hieronymus. † Et secundum quendam modernum, hospitalem noster Apostolus quærit Episcopum, qui cupidus sit, amansque hospitum, & peregrinorum, ut illos domo excipiat, tractet, foveat, ac multo magis, qui vicinis, civibusque suis indigentibus benignè facere velit. Hinc S. Gregor. scribens ad Joannem Episcopum: Hospitalitatem, inquit, nesciens non fiat Episcopus. Et Hieronymus ad Oceanum: Ante omnia, inquit, hospitalitas futuro Episcopo demuniatur. Si enim omnes illud Evangelii audire desiderant: Hospes sui, & suscepistis me, quanto magis Episcopus, cujus domus omnium debet esse hospitium? Laicus enim unum, aut duos, aut paucos recipiens implebit hospitalitatis officium: Episcopus, nisi omnes recipiat, inhumanus est. Etenim hospitalitas multum laudanda, amplectenda, inquirenda, & amanda, quia Deum meretur recipere, Matth. 10. qui vos recipit, me recipit. & Matth. 5. qui recipit unum talem parvulum in nomine meo, me suscipit. Unde Hieron. ad Nepotianum: Mensula tua pauperes & peregrinos suscipiat, & cum illis Christus conviva erit. Sacra res est mensa hospitalis, dicit Seneca lib. 4. de Officiis, & Cicero lib. de Officiis. Rectè, inquit, laudanda est hospitalitas, est enim, ut mihi videtur, valde decorum patere domus hominum illustrium hominibus illustribus.

Episcopi igitur in Sacra Scriptura, & Sanctorum Patrum scriptis ad hospitalitatem maxime incitantur: in primis exemplo Abraham, & Loth, Genes. 19. quorum domus semper hospitibus aperta erant; non autem Sodomitarum, quæ hospitibus erant clausæ, in quorum opprobrium Angeli dixerunt, in platea manebimus. Unde Hieronymus. Abraham, & Loth Angelos susceperunt, quia hospites dilexerunt. Et exemplo viduæ, quæ Eliam hospitio recepit, cui toto penuriae tempore favus, farina, & oleum non defuerunt, Regum 16. Deinde exemplo Rahab, quæ quia recepit nuntios filiorum Israël, ideo cum parentibus suis servata est, Josue 6. & omnes alii cives occisi sunt. Denique quia hospitalitas disponit ad susceptionem divinæ gratiæ, & præparat, quod ostensum est Luca ult. ubi discipuli cognoverunt Dominum coactum hospitari cum eis, ac etiam in fractione panis. Unde Gregor. in homilia: Ipse quoque Dominus non est cognitus à Discipulis in via dum loqueretur, & in domo cognoscitur dignus

dignatus est, dum pasceretur: sic etiam quandoque divina cognitio infunditur hospiti, vel hospita gratia alicuius sancti viri in hospitio recepti. Et S. Augustin. ser. 140. de tempore, ait ita: Tene hospitem, si vis agnoscere Salvatorem: quod tulerat infidelitas, reddit hospitalitas. Dominus ergo presentavit seipsum in fractione panis. Scitè etiam S. Ambros. lib. 2. offic. c. 21. sic dicit: Tanta est apud Deum hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem aqua frigida à premio remunerationis vacuus sit. Vides, quia Abraham Deum recipit hospitio, dum hospites quarit? Vides, quia Loth Angelos suscepit? Qui scis, an & tu cum suscipis hospitem, suscipias Christum. Huc faciunt Theodulphi verba epist. ad suos Presbyteros. Sciant sanè quicumque hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere. Et illa S. Augustini lib. contra hereses 5. Disce Christum sine discretionem inhibere hospitalitatem, ne forte cui domum clauseris, cui humanitatem negaveris, ipse sit Christus.

4 Hospitalem quærit noster Apostolus Episcopum, qui cupidus scilicet sit, amansque hospitem & peregrinorum; nam cui tribuitur, is accipit munus temporale; qui tribuit, recipit donum spirituale, & cælestè. Unde quod ait Apost. 2. ad Cor. 9. Augebat incrementa frugum iustitia vestra, interpretatur ibi Theophylactus: Dabit Deus hic incrementa iustitiæ, & gloria in cælo. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, inquit Ecclesiast. c. 4. & ad dandum collecta. Eandem beneficentiam & Salvator exigit à suis Discipulis, Matth. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Et Matth. 24. Beatus ille servus, qui Christi familia dat cibum in tempore. Nam, ut ait S. Ambros. lib. 2. de offic. c. 16. Quo plus te operari viderit populus, magis diligit. Scio plerosque Sacerdotes, quo plus contulerint, plus abundasse, quoniam quicumque bonum operarium videt, ipsi confert, quod ille officio suo dispenseret; securus quod ad pauperem sua perveniat misericordia. Nemo enim vult nisi pauperi suam proficere collationem.

5 Cùm Episcopi exemplo Christi laborare debeant, ut non solum verbo, sed exemplo prædicent, quia per facta obtemperatur doctrinæ, secundum Philosoph. 7. Ethic. unde dicitur, Credibilia sunt facta, quam verba, ideo non poterunt alios exhortari convenienter ad hospitalitatem, sicut debent, nisi ipsi hospitalitatem teneant. Episcopus enim sequendo Apostolum exhortantem ceteros ad hospitalitatem sequendam, ad Roman. 12. ibi, hospitalitatem sectantes, debet alios inducere ad tenendam hospitalitatem, quod malè poterit, si ipse non teneat. Si enim Sacerdos primum à seipso, & à domestica Ecclesia sua debet exigere, quod postea populis imperiat, si primum imitando Christum ipse debet facere, quæ postea populum doceat, necesse est ut pauperes hospitio recipiat, quo ad hospitalitatem facilius suo exemplo subditos attrahat.

6 Unde hospitalitas usque ad eò Episcopis est necessaria, ut si ab ea inveniantur alieni, jure prohibeantur ordinari. Gratian. in princ. 85. dist. Si enim vidua in Ecclesia recipi prohibetur, quæ pauperes non recipit hospitio, quæ pedes Sanctorum non lavit, quæ omne opus bonum non est exequuta; multò magis sunt prohibendi à Sacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni. Unde hospitalitatis opera despicientes in Gangrensi Concilio c. 11. excommunicantur. Hinc etiam Joan. Evangelista in epist. sua, quendam Diotrephen excommunicat, qui nec pauperes recipiebat, & recipientes de Ecclesia ejiciebat. Caveat igitur Episcopus, ne sit de numero eorum, quibus in iudicio dicitur: Hospes eram, & non suscepistis me, Matth. 25.

7 Episcopus largam habeat manum, necessitatem patientibus succurrat, alienam inopiam suam credat; quia si hoc non habet, in vacuum nomen Episcopi tenet. In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum, & personarum: rerum, inquam, ut non

omnia uni, sed singulis quædam præstentur, ut pluribus prodesse possimus, juxta illud Psal. 111. dispersit, dedit pauperibus: personarum verò, quia primò iustis debemus dare, &c. ita Gregor. scribit lib. 5. epist. 29. seu c. 129. Secundino servo Dei, relatus in c. fratrem, 86. dist. † Domus Episcopi ad hoc est instituta, ut sine personarum acceptione omnes in hospitalitatem recipiant, & ideo non debet habere canes, quia non moribus, & latratibus canum, sed hymnis custodienda est domus ejus, ne hi qui confidunt in te se inventuros levamen miseriarum suarum, versa vice moribus canum lanientur.

In liberalitatis executione attendendæ sunt multæ circumstantiæ, videlicet fides, causa, locus, tempus, modus, necessitudo, ætas, debilitas, conditio. Grandis culpa est, si fidelis egeat te sciente, ille præcipuè, qui egere erubescit. Item probanda est alia liberalitas, ut proximos sanguinis tui non despicias, quibus pudor est ab aliis poscere, non ut illos divites facias, sed ut pauperem, & egenum juves, vitamque tibi perpetuam fructu boni operis acquiras. D. Ambros. lib. 2. de officiis, c. 30. relatus in c. non satis, & in c. est probanda, 86. dist. Considera ætatem, ut senibus plus largiaris, qui sibi jam nequeunt victum quærere. Considera etiam debilitatem, considera verecundiam, quæ ingenuos prodit natales. Non tamen vult Dominus simul effundi opes, sed dispensari, & in ipso pauperis dato mensuram tenere, ut abundes pluribus. Quantò enim minora sunt, quæ sparguntur, tanto plures erunt, qui recipiant. Ex puro affectu, ac sincero fiat elemosyna, non conciliandi favoris gratiâ ultra modum effundendum. Omnia hæc ex D. Ambrosio d. loco.

Gregor. in 3. part. Pastoralis, cap. 21. ponit prudentiam largiendi, Primò enim attendendum ne serò præbeatur, quod citò dandum est, juxta illud, Ne dixeris amico tuo: Vade, revertere, cras tibi dabo, cum statim possis dare. Secundò, ne sub specie largitatis inutiliter spargant sua, aut multa dent, ubi pauca sufficerent, juxta illud 2. Corinth. Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; qui enim ita sua effundunt, ut postmodum egeant, frequenter in impatientiam præcipitantur. Tertio, ne totaliter vacuum dimittant pauperem, cui semper aliquid, vel parum dandum est, juxta illud Luc. 6. Omnia petenti te tribue. Quarto, ne aliquid demus, cui nihil penitus dandum est, ut histrioni, &c.

Induitur igitur Episcopus Dalmatica latas manicas habente, quia oportet, ut noster Apost. ait ad Titum 1. illum sicut Dei dispensatorem, hospitem esse, benignum, liberalem, non turpis lucri cupidum. Majoris enim peculii dispensatorem plura expendere oportet: qui divitias opesque veras esse putet, si non studio omni aliena bona corrodat, sed indigentium penuriam sua liberalitate adimat: qui sua commoda propinquorum bona deputet. Egentis enim mentem doctrinæ sermo non ita facile penetrat, inquit Gregor. in 2. part. Pastoralis, cap. 7. si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facile germinat, quando hæc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. De quo illud dicitur Psalm. 111. Dispersit, dedit pauperibus, Non fisco, non hæredi potenti, & non factioso civi, non carni, & sanguini, non tenaci, & quæ nunquam compleri potest, arcæ: tantò minus non libidini, & cupiditati; sed dispersit, dedit pauperibus: hoc est, Seminaria futuræ pietatis, & eruditionis extruxit; adolescentes præstantes ingenio quamplurimos domi, forisque opibus suis educavit: Parochiis desertis, ac depopulatis Pastores, & Sacerdotes suis copiis aluit: redeuntes ab errore benignè, & liberaliter suscepit, captivos redemit, & virgines orbas elocavit, peregrinos hospitio suscepit, viduis, orphanis, morbo, atque ætate fractis opem tulit. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus

ejus exaltabitur in gloria. Fœnus hoc solum, inquit S. Leo epist. 1. cap. 4. aspicere, & exercere debemus, ut quod hic misericorditer tribuimus; ab eo Domino, qui multipliciter, & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus. Neque enim nos hæreditate possedimus Sanctuarium Dei, sed alienæ fortis dispensatores sumus. Cujus peculii usus quidem, ait Bernard. lib. 2. de considerat. est bonus, abusus mala, & sollicitudo peior, questus autem turpissimus.

12 Pondera hæc, ô Pastor, ait Gregor. epist. 21. lib. 11. non largiris tua; sed aliena. Quid ergo mirum, quod tota die lustrent domum Episcopi pauperes, cum sit ea domus dispensatoris rerum ipsorum? Possent enim vociferari ad valvas, imò usque ad secretum cubiculum, dicentes: Da nobis nostra, alioquin contra te vociferabimur ad Dominum rerum tua dispensationi commissarum, dicentes: Domine non vult nobis dare quæ illi, ut nobis daret, dedisti.

13 Clamant pauperes ad Pontifices, ait Bernardus ad Henric. epist. 42. cur in superfluitates vestras consumitis, quæ nostris debentur necessitatibus? nostris enim necessitatibus detrahatur, quicquid accedit vanitatibus vestris. Quid conferunt tot mutatoria? nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis: nos sumus fratres vestri, & vos de nostra portione pascitis oculos vestros, & ita vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Duo mala ex eadem radice procedunt, dum vos ipsos vanitatem sequendo perditis, & nos spoliando perimitis. Et quæ sic consumitis, neque labore manuum, neque negotiationis studio, neque jure hæreditario possidetis, sed bona nostra sunt. Et quamvis hi pauperes, ait, modò non audeant aperire os adversum vos, & exigere partem suam, quibus interim pro sua vita necesse habent potius supplicare, tamen in futuro stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. Stante pro eis patre orphanorum, & iudice viduarum, qui dicet vobis, Matth. 23. Quandiu non fecistis uni ex his minimis meis, nec mihi fecistis.

14 Et per eundem Bernardum ad quendam Canonicum, sic dicitur: Conceditur tibi, si altari servias, ut de altario vivas, non tamen quod emas frana de argentata, grisea, variaque pellicia: quicquid ergo præter necessarium victum, & vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Quibus verbis quid acrius dici potuit? Idem etiam penè Hieronym. in Esaiam, relatus in c. si cupis, 16. quest. 1. his verbis: Præter vitulum, & vestitum, & manifestas necessitates nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panes canes comedant. Idem etiam super illud Esai. 3. Rapina pauperum in domo vestra, ita ait: Rapina pauperum in domibus Sacerdotum, qui Ecclesie opes sibi thesaurizant, & in deliciis abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur, & sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopiam suas, vel suorum divitias faciunt. His addo Apostolorum canonem relatum in c. quisquis, 12. quest. 2. hæc ipsa de re ita statuentem: Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat Episcopus, & ea Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex iis aliquid omnino coningere, aut parentibus propriis, quæ Dei sunt, condonare: quod si pauperes sint, tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione Ecclesia depradentur. Divus etiam Augustinus in serm. ad Hierem. ait: Memento quod pauperem vitam Sacerdos gerere debet, & ideo si superbam habet, si magno gaudet beneficio, præter victum, & vestitum, pauperibus dare non differat.

15 Divus Ambrosius, ut captivos redimeret, non solum vasa dominica conflavit, sed etiam libentissimè invidiam, & calumniam sustinuit, ut ipse ait lib. 2. de officiis, in hæc verba: Nos aliquando in invidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus, quod Arrianis displicere poterat: nec iam factum displicere, quam ut esset quod in nobis re-

prehenderent. Quis autem est tam durus, immis, & ferreus, cui displiceat, quod homo redimitur à morte, fœmina ab impuritatibus barbarorum (quæ graviores morte sunt,) adolescentula, vel pueruli, vel infames ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur. Quam causam etsi non sine ratione gessimus, tamen ita in populo persecuti sumus, ut confiterentur, multoque fuisse commodius astrueremus, ut animas Domino, quam aurum servaremus. Qui enim sine auro misit Apostolos, & Ecclesias etiam sine auro congregavit. Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogat, & subveniat in necessitatibus. Quid opus custodire quod nihil adjuvat? An ignoramus quantum auri, atque argenti de templo Domini Assyrii sustulerint? Nonne melius constat Sacerdos propter alimoniam pauperum (si alia subsidia desint) quam sacrilegiis contaminata asportet hostis? Nonne dicturus est Dominus: Cur passus es tot inopes fame emori? Et certè habebas aurum ut ministrasses alimoniam: cur tot captivi deducti in commercium sunt, nec redempti? tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, ut vasa viventium servares, quam metallorum. His non posset responsum referri. Quid enim diceres: Timui ne templo Dei ornatus deesset. Responderet: Aurum Sacramenta non quarunt, nec auro placent quæ auro non emuntur: ornatus Sacramentorum, redemptio captivorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sanguis ejus operatus est. Tunc vas Domini sanguinis agrosco, cum in utroque videro redemptionem, ut calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Quam pulchrum, ut cum agmina captivorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur: Hos Christus redimit. Ecce aurum, quod probari potest, ecce aurum utile, ecce aurum Christi, quod à morte liberat: ecce aurum, quo redimitur pudicitia, quo servatur castitas. Hos ego malui vobis liberos tradere, quam aurum reservare. Hic numerus captivorum, hic ordo præstantior est, quam species poculorum. Huic muneri proficere debet aurum redemptoris, ut redimeret periclitantes. Agnosco infusum auro sanguinem Christi non solum irrutilasse, verum etiam divina operationis impressisse virtutem redemptionis munere.

S. Joannes Alexandrinus Patriarcha cognomento Misericors, sive Eleemosynarius, apud Surium 23. Januarii, cum quintumdecimum annum ageret, misericordiam sibi desponsavit ipso suæ in Patriarcham electionis die. Non justum est, inquit, Fratres, antè alterius cujusquam curam habere, quam Christi. Euntes ergo per totam civitatem, conscribite mihi ad unum omnes dominos meos, & auxiliares (ita vocabat pauperes.) Mira autem celeritate annotati sunt supra septem milia quingentos, quibus cum annonam, & in singulos dies per suum procuratorem sustentationem constitisset, ad Templum consecrandus perrexit. Testamentum ejus, teste Simeone Metaphr. sic habebat: Ago tibi gratias Domine Deus meus, quod me dignum censueris, qui tua tibi offerrem, & quod ex mundi donis nihil aliud sit mihi reliquum, nisi tertia pars nummi, quam ipsam jubeo quoque dari pauperibus, qui sunt mihi fratres in Christo.

S. Augustinus epist. 89. ad Hilarium, quest. 4. Ego inquit, qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus loquutus est, quando ait diviti adolescenti, Matth. 19. Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me: vehementer adamavi, non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante sic feci: & ad hoc propositum, quantis possum viribus, alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes. Et Possidonius illius discipulus, & quadraginta annis contubernalis, Calamentis Episcopus in ejus vita, c. 23. sic ait: Pauperum verò semper memor erat, eisque inde erogabat, unde & sibi, suisque omnibus secum habitantibus erogabatur, hoc est ex redditibus possessionum

sessionum Ecclesia, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et c. 24. Interea dum Ecclesia pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denunciabat, non se habere quod indigentibus erogaret. Et c. 31. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Christi non habuit.

18 S. Paulinus Nolensis Episcopus, ut testis est S. Gregorius Turonens. lib. de gloria Confessorum, cap. 107. cum audivisset prædictum Domini consilium Matth. 19. amplissimas divitiâs suas, quas in fundis, domibus, & aliis rebus possidebat, divendit; & pauperibus erogavit, tamque proluxa in miseros benignitate fuit, ut auctore S. Gregorio Magno lib. 3. dialog. cap. 1. cuncta, quæ ad Episcopi usum habere potuit, captivis indigentibus largiretur: cumque jam nihil omnino superesset, viduæ pretium pro redemptione unici filii captivi apud Vandalos postulanti: Mulier, inquit, quod possim dare non habeo, sed memetipsum tolle servum, me juris tui esse profiteri, meque ut filium tuum recipias, vice illius in servitium tradere. Unde illum S. August. lib. 1. de civitate Dei, cap. 10. vocat ex opulentissimo divitem, voluntate pauperimum, & copiosissime sanctum.

19 S. Gregorius Magnus peregrinos quotidie ad mensam adhibebat, in quibus & Angelum, & Angelorum Dominum peregrini facie exceperit. Pauperes, & urbanos, & externos, quorum numerum descriptum habebat, benignissime sustentabat. Ita Joan. Diacon. in S. Gregorii vita, lib. 1. c. 10. & lib. 2. c. 22. & 23. Hospitalitatem se præstitisse Bassianus Ephesus Episcopus act. 11. Conc. Chalced. his verbis declarat: Ego, inquit, à juvenili etate mea vixi cum pauperibus, & prochiuum feci; & in eo posui septuaginta lectos, & omnes languentes, & ulceratos hospitio suscipiebam.

20 Hospitalitatis & beneficentiæ laus in Prælate præcipue fulgere debet, cum nihil sit quod æquè amabilem illum populo reddat, ac subveniendi, beneque de aliis merendi studium; vulgus siquidem vix putat alios esse bonos, quàm beneficos. Unde in Proverb. 22. dicitur: Victoriam & honorem accipiet, qui dat munera. Et Dominus noster cum signa multa fecisset, dixit Joan. 11. Quæritis me, non quia audistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Quid, quæso, vel mirabilius, vel magnificentius; vel majori honore dignius, quàm signa illa ingentia, quæ filius Dei edebat in mundo? At natura humana tanto seipsam amore complectitur, suisque commoditatibus usque adeo intenta, & infixata est, ut omnibus signis, portentosisque miraculis suas rationes anteferat, majorique Dominum benevolentiam, & honore prosequatur, quod populorum famem expleverit, quàm quod ingentia miracula ediderit. Hinc vulgata illa Philosophi sententia: † Amabile bonum, unicuique autem proprium. Unde manavit & illa: Qui beneficia invenit, compedes invenit, imò & aliquid compedibus majus.

21 Vincula enim hæc pedes tantum ligant, † beneficia verò non modò corpus, sed etiam mentem, animum, atque præcordia ipsa nexibus charitatis vinciunt. Et idè Episcopis tantopere elemosynarum largitio commendatur, ut per eam potissimum & popularium suorum benevolentiam, & probitatis opinionem sibi maximè necessariam conciliarent, quæ illorum animos & ad obediendum alacriores, & ad imitandum promptiores, & ad doctrinam percipiendam paratiores redderent. Et dicit Chrysost. hom. 53. super Matth. Liberalis anima non sinit nostras lampades extinguere, internas vestes ex rubeis candidiores nive facit. Hæc est, quæ in perpetuum tibi servat quæ hîc possides; hæc facit præclaros homines hîc, & in futura vita. Melius namque est habere famam misericordis, humani, benigni, quàm eloquentissimi oratoris. Hujus

22 † hospitalitatis, elemosynæ, ac cujusvis beneficii meritum potius in animi alacritate consistit, quàm doni magnitudine: nam, ut inquit S. Ambros. lib. 1. Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

offic. cap. 30. & habetur in can. 14. distinct. 86. Non satis est bene velle, nisi studeas etiam benefacere, neque satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte procedat, hoc est, ex bona voluntate proficiatur: hilarem enim datorem diligit Deus, 2. ad Corinth. 9. Docuit Scriptura, ut ait idem Ambros. lib. de viduis, quam misericordem in pauperes, & liberalem esse conveniat, nec paupertatis debere contemplatione revocari; quia liberalitas non cumulo patrimonii, sed largitatis definitur affectu. Denique Dominica voce illa vidua omnibus antefertur, de qua dictum est Luca 21. Vidua hæc plus omnibus misit, in qua moraliter Dominus instruit universos, ne quis à collatione ministerii paupertatis pudore revocetur, nec sibi divites blandiantur, quod plus videantur conferre, quàm pauperes: uberior est enim nummus à parvo, quàm thesaurus à maximo; quia non quantum detur, sed quantum resideat, expenditur. Et S. Gregor. homil. 5. in Evang. Exteriora nostra, inquit, Domino, quamvis parva, sufficiunt; † cor namque, & non substantiam pensat. Nec perpendit, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. Ante Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, si fuerit æca cordis repleta bona voluntate; nihil quippe Deo offertur diutius bona voluntate. Optimam proinde D. August. in Psal. 103. conclus. 1. consilium: Supplicem, inquit, nullum spernas; & cui dare non potes quod petierit, non eum spernas: si potes dare, da: si non potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat, non habeo: charitas non de sacculo erogatur.

Hinc refert Gerson in 2. part. suorum operum, in egregio opusculo, cujus titulus est, de temperantia, & modestia Prælatorum, quod Prælati non solum licite potest dare elemosynas in publico, & ante se tuba canere (hoc est, se manifestare cum dat elemosynas) sed etiam ad hoc ipsum tenetur pro loco, & tempore; quoniam positus est in exemplum aliorum velut lucerna ardens super candelabrum, ut omnibus luceat, qui sunt in Ecclesia. Quod si fecerit, omnis utique avaritiæ suspicio tolletur. Ille enim qui dixit, Matth. 6. Cum facis elemosynam, noli tuba canere, &c. etiam dixit Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, &c. Per hoc docens opera Christianorum, & specialiter prælatorum in abscondito esse faciendâ (quoad intentionem non captandâ laudis humanæ) & in publico etiam propter augmentum divinæ gloriæ. Unde Gregor. Sic fiet opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto.

23 Illud magnoperè dolendum est, quod ubi primum quis in Episcopum designatus est, velut prædam quandam Episcopatum esse arbitrantur, protinus ad eum undique amici, consanguinei, affines, viri potentes, & nobiles accurrunt, aliusque filium in famulum, alius fratrem, alius nepotem, alius servum offerunt: instant, obsecrant, urgent, atque omniratione miserum Pastorem vexant, famulisque onerare contendunt (quos ut semel admiserit, excludere perpetuò non possit) ut nisi constanti, & infracto animo sit, importunitati victus cedat, & contentioni flagitantium. Quo fit, ut tot oneribus pressus, tantisque expensis addictus, vix quicquam ei supersit, quo & multorum inopiæ, & periclitanti Ecclesiæ subvenire possit.

Episcopus igitur debet esse sicut Melchisedech, sine patre, sine matre, & sine genealogia, superando teneros affectus erga consanguineos. Imò Dominus ut suos erudiret Vicarios, semper asperè est loquutus ad consanguineos suos, quoties intercessit negotium cum eis. Aliquando enim dixit Marci 10. Nescitis quid petatis. Et Luca 2. Quid est quod me quærebatis? Et Joan. 2. Quid mihi, & tibi mulier? Et Marci 3. Quæ est mater mea, aut fratres mei, &c. quasi dicat, non

non habeo alios consanguineos, nisi qui Patris mei voluntatem faciunt. Unde S. August. *serm. 21. de Eremitis*. sic ait: *Consanguinei veniunt ad me, aliquando cum minis, aliquando cum blandimentis, dicentes: Da nobis aliquid Pater, caro enim tua sumus; & tamen Dei gratia, & vestris orationibus nondum ditavi aliquem consanguineum, quia chariores mihi reputo pauperes, quam divites, quia bona Ecclesiarum patrimonium pauperum sunt. Non enim subterfugis Deum fallere possumus: nam* 28 *in omni loco & oculi Domini contemplantur bonos & malos, Proverb. 15. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus, Apostol. ad Hebr. c. 4. Nihil est, ait S. Ambros. lib. 3. offic. c. 26. quod magis ad vitam honestam proficiat, quam ut credamus eum iudicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent. Et Cicero lib. 3. offic. Sais, inquit, modo in Philosophia aliquid profecerimus, persuasum esse debet, si omnes Deos, hominesque celare possimus, nihil tam avarè, nihil injustè, nihil libidinosè, nihil incontinentè esse faciendum.*

29 Longa sæculorum multorum experientia docuit multa in Ecclesia Dei à propinquis, & consanguineis Episcoporum invecta fuisse, live quia non eos ipsi mores indicant, quos Episcopus aliis prædicat; live quia benevolentia, & charitas Pastorum; quæ in gregem suum congrua quadam proportione distribuenda erat à cognatis, ut plurimum absorbeatur. Per filios enim solet Ecclesiarum substantia periclitari, c. de *Syracusana*, 28. dist. Et Episcopi solent esse cæci circa nepotes, secundum gloss. in c. *pervenit*, 1. *quæst. 3.* Bald. in *auth. quicumque*; c. de *sacrosanct. Eccles.* Jas. in *usibus feudorum*, tit. *qui feudum dare poss. ante num. 14.* Franc. Leo in *thesauro fori Eccles. part. 1. cap. 3. num. 27.* Unde in *auth. quomodo oportet Episcopos*, §. 1. *collat. 1.* constituitur, ne quis & habens filios; vel nepotes, etiam legitimos, in Episcopum eligatur, sumpta voce *nepotes* proprie pro filiis filiorum; 1. *Juriconsultus*, ff. de *gradib. cogn.* secundum Abb. in c. 1. de *testam. num. 3.* quæ constitutio refertur in d. c. de *Syracusana*. Et non posse de Jure communi habens filios, vel nepotes eligi in Episcopum, nisi dispensativè, tenet Innoc. in d. *cap. 1.* quem sequitur Abbas *ibi num. 2.* & Nav. de *spoliis clericorum*, §. 19. *num. 2.* ubi dicit hanc opinionem Juri scripto esse magis consonam, licet contrarium disponat c. *Episcopus qui filios*, 12. *quæst. 2.* & contra viguerit consuetudo. Quapropter multi Episcopi habentes filios à Sede Apost. ad Episcopatus fuerunt promoti, ex opinione Host. quæ communiter est recepta; ut testatur Navar. *dict. §. 19. num. 2.* & illis, dummodo idoneis, conferunt beneficia, Abb. in c. *quia clerici de jure patron. & cons. 96.* quem refert Flamin. de *resign. lib. 9. quæst. 17. num. 123.* Hæc igitur Ecclesiarum bona non debent malè impendi; illa enim non sunt data ut Prælatorum ditescant nepotes, non ut alta erigantur palatia, talia nempe in domibus Regum sunt ad holce usus. Audi S. Concilium Trident. *sess. 25. de reformat. cap. 1.* in hæc verba: *Omniò verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesie consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cum & Apostolorum Cænes prohibeant; ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt; consanguineis donent; sed si pauperes sint; iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distribuant; nec dissipent illorum causa: imò quam maxime potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus depellant.* Hactenus Conc. & Qui donant economi sunt, & servi Domini Dei sui, cui rationem reddituri sunt bonorum administratores. S. Gregor. p. 3. *Pastor. c. 21. Admonendi sunt*, inquit, *qui jam quæ possident, misericorditer tribuunt; ut à cælesti Domino dispensatores se positos subsidiorum temporalium agnoscant; & tantò*

humiliter præbeant, quanto & aliena esse intelligant, quæ dispensant. Cumque in illorum ministerio, quibus accepta largiuntur, constitutos se considerant, nequam eorum mentes tumor sublevet, sed timor premat. Et Theophylact. in *Lucam*: *Opulentos*, ait, *Dei comparatione non esse dominos divitiarum, sed alienarum rerum dispensatores, quæ à Domino Deo nobis concessa sunt, ut illas bene dispenseremus, sicut ipse imperat, & juxta mentem ipsius, cujus voluntas est, ut datis utamur in conservorum usus, & non in proprios.* Et S. Ambros. in *sine lib. 7. comment. in Lucam*: *In quo, ait, discimus non ipsi esse domini, sed potius alienarum villici facultatum.*

Nam proventus Ecclesiastici aliud non sunt, quam sanguis Christi, & Sanctorum; sicut opes, quas quis paravit laboribus suis, dicuntur ejus sanguis; sic pretium universitatis, sanguinem, inquam, Christi marsupiiis includi, & exitiali Judæ imitatione Christum prodi denuò dicit S. Bernardus. Ditantur hinc à plerisque nepotes errore non novo; nam etiam ante quatuor sæcula Petrus Blesens. *epist. 5. 1.* dixit: *Hodie pro filiis, quos abstulit Prælati Ecclesia Deus, habent nepotes in dissipationem patrimonii Christi, & in sua salutis dispendium permittuntur.*

Hæc omnia nonnulli Prælati silentio prætereuntes pretium universitatis suis marsupiiis includentes; patrimonium crucifixi aut nepotibus erogant, aut damnabiliter retinent, aut distribuunt consanguineis indiscretè. Nonne considerant infelices, quod morituri sunt? nonne cogitant quod requiret Dominus ab unoquoque villicationis propriæ rationem, & honorem proprii principatus? Propter hoc irritavit impius Dominum. Dicit enim in corde suo: *Non requiret; sed certè requiret exactissimè usque ad novissimum quadrantem, & retribuet abundanter facientibus superbiam; malos utique malè perdet, vineam suam aliis agricolis locaturus. Væ operariis vineæ Domini Sabaoth, si cum sarmentis abscindantur, & in ignem mittantur. Væ Pastoribus, si numerentur in sinistra cum hædis. Væ cultoribus Dominicæ messis, si cum palea comburantur.* Certè præclarum exemplum est Benedicti XI. qui nullum ex suis propinquis ad aliquod Ecclesiæ munus accersivit: dicere namque solebat, Pontificem propinquos non habere, Matth. Tymp. in *speculo Ecclesiast. signo 104.* & historiam de adventu suæ matris ad illum in habitu humili, quam primùm videre noluit in altiori, narrant Fray Hernando de Castillo in *la historia de la Orden de santo Domingo, lib. 1. c. 50.* Muñoz in *la vida de Fray Luis de Granada, lib. 2. c. 1. in fine.*

Nicolaus IV. Pontifex in cognatos, & affines ita semper affectus fuit, ut iis nihilo plus debere se diceret, quam civis bono: itaque hoc quasi domestico vinculo expeditus, eo facilius omnes suas curas in communibus Ecclesiæ commodis curandis defigebat Clemens IV. qui cum ante Pontificatum duas filias legitime suscepisset, uni in monasterio collocatæ triginta tantum libras dedit, alteri quæ marito suæ conditionis nupserat, trecentas libras dotis nomine numeravit, & hac conditione ne quid amplius peteret; habuit & nepotem clericum, quem ex tribus præbendis, quas habebat, unam ut eligeret, & reliquas dimittere coëgit; instantibus amicis, ut potius nepoti majora tribueret, respondit se Deo, non autem carni, & sanguini acquisiturum, & Pontificibus Romanis filios non esse, nec eis licere, quod suum non esset, propinquis dare. Fulgent. *lib. 4. c. 3.* Egnat. *lib. 4. cap. 3.* Plut. de *Cardin. cap. 25.* Matth. Tymp. in *speculo exemplorum, signo 13.* Pelag. de *planctu Ecclesie lib. 2. cap. 15.* Unde, quia lectu jucunda, & fructuosa est epistola, quam ad nepotem Petr. Grossum scripsit, ejus verba subjunxi: *Multis de nostra promotione gaudemibus, nos soli sumus, qui certius immensitatem oneris*

oneris experimur: idcirco quod aliis gaudium, nobis subministrat metum, & fletum. Sanè ut scias qualiter his auditis, debeas te gerere, scire te volumus quod humilior solito debes esse; neque enim quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere, maximè cum honor hujus sæculi momentaneus sit, & sicut ros transeat matutinus. Nec ad nos te, nec fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem venire volumus sine nostro speciali mandato, quia spe sua frustratus, si secus venire presumeret, oporteret ut rediret confusus. Sed nec in sororis tue nuptiis quaras propter nos altiorem; nec enim nos haberes propitios, nec in aliquo adjuutores: si tamen eam filio militis desponsaveris, in trecentis libris Turonensibus tibi proponemus subvenire. Et si altiora quaesieris, nec à nobis denarium speres unum, & hoc ipsum secretissimum esse volumus, & tibi, & matri solummodo notum esse. Illud etiam scias, quod nullum, nullamque de sanguine nostro, sub nostra sublimationis obtentu inflari volumus, sed tam Mobiliam, quàm Caciliam illos viros habere volumus, quos haberent, si essemus in simplici clericatu. Sibyllam visita, & dic ei quod locum non mutet, sed remaneat apud Susam, & omnem maturitatem, & habitus honestatem observet, & preces apud nos pro aliquo non presumat assumere: nam & ei, pro quo fierent, essent inutiles; & ipsis, qui rogaverint, damnosa. Et si forte per aliquos ex hac causa munera offerantur, ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. Saluta matrem, & fratres. Hæc ille, cujus auctoritas in tan is opibus & potestate ostendit, qualiter Pontifex erga propinquos gerere se debeat.

33 Pius V. Cardinalem Alexandrinum nepotem rebus agendis sibi adiutorem sic adhibuit, ut suam ipse auctoritatem retinendo non uni omnia deferret, sed graviora quæque ipse cognosceret, cunctaque amplissimorum Patrum consilio moderaretur: & cum multi Magnates, & Principes viri aliquando ei subicerent dotes, & alia propinquis data subsidia tenuiora videri, quàm talis, tantique Principis cognatos deceret, posseque largiori manu cum illis agi, respondit: Quin etiam de his modicis an salva conscientia dederimus, sæpè nobis venit in mentem dubitare. Hæc enim bona sunt Ecclesiæ, in ejus tantum sacros usus, non ad luxum, aut ad ditandos propinquos à sanctis legibus destinata: se ad Summum Pontificatum à Deo vocatum fuisse, ut Ecclesiæ suæ, non ut consanguineorum aut commodis inserviret, aut cupiditati. Gabut, in ejus vita, lib. 6. cap. 14. Meritò igitur Alvar. Pelag. Conlufitanus noster, lib. 2. de planctu Eccles. cap. 15. sic ait: Utinam ante mentis oculos omnes Prælati illum Davidicum versum tenerent. Quæ utilitas in sanguine meo cum descendero in corruptionem? Psal. 29. Quem versiculum allegavit quidam sanctus Prælatus, cuidam suo consanguineo ipsum de promotione inquietanti.

34 Cùm majorem charitatem, & pietatem in suos, quàm in extraneos exercere quis debeat, cap. non satis, 86. dist. omni scilicet cessante fraude, & præsumptione, quæ pro consanguineorum affectione stat, text. in c. quisquis, 12. quest. 2. c. in canonibus, 16. quest. 1. poterit Episcopus cæteris paribus consanguineos in officiis, & muneribus aliis extraneis præferre, modò sint digni, & de illis confidere possit, qui etiam si sint pauperes, poterit illis Ecclesiæ redditus distribuere, & uberiori manu, ratione status, sed non augere nimis, nec ditare, ne videatur ædificare Sion in sanguinibus, arg. c. Episcopus etsi manifestè, c. res Ecclesiæ, 12. quest. 2. poteritque bona Ecclesiæ solita dari in emphyteusim potius in consanguineos, quàm in extraneos alienare. Burfat. consil. 127. num. 4. 7. 8. lib. 2. Menoch. conf. 18. n. 19. vers. non obstat, & consil. 79. num. 1. & 4. cum seqq. Barthol. Peret. in comment. ad extravag. Ambitiosa, de rebus Ecclesiæ non alien. verb. ac de rebus, & bonis, à n. 60. Surd. de alimentis, tit. 8. privil. 92. num. 2. Flamin. d. Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

quest. 17. num. 124. Cardoso in praxi judicum, & advocat. verb. emphyteusis, num. 21. Cald. Pereira de potestate elig. cap. 13. num. 1. 8. & 11. & modicas inter vivos facere donationes, ut eis subveniat, de quo tamen videbis quæ resolvunt Cevall. Communium contra commun. quest. 388. num. 3. Fr. Ludovic. Beja in responsis casuum conscientia, p. 2. casu 25. Paul. Comitol. respons. moral. lib. 1. quest. 70. num. 2. Cald. Pereira d. c. 13. num. 13. Molina de primog. lib. 2. cap. 10. à num. 33. Molin. Theologus de justitia tract. 2. disp. 148. conclus. 4.

Benefacere, & egenis subvenire ita est Episcopi 35 proprium, ut ad hoc plusquam alii ex officii obligatione, & dignitatis sublimitate teneantur; quia, ut dicit Cicer. in Lal. Fructus ingenii, & virtutis, omnisque præstantia, tum maximè capitur, cum in proximum quemque confertur. † Generosi animi est, dicit Seneca, & ma- 36 gnifici, juvare, & prodesse. Nec ob beneficia iterum collata à postulatis de novo abstinendum. Etenim, dicit Plin. lib. 3. epist. 4. naturâ ita comparatum est, ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules. Et conservandum est veteris beneficii meritum novo, quia si quid unum neget, hoc solum meminerunt, quod negatum est, sed hoc ex mundi legibus petitum, Christiano viro nihili faciendum, qui quicquid boni agit, Dei intuitu agit.

Sic demus, ait Seneca lib. 2. de benefic. c. 1. quomodo 37 vellemus accipere, ante omnia libenter, citò, sine ulla dubitatione. Et alibi: Noluit qui diu discolit, ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis heret, quod quis agrè dimittere visus est, & sic tanquam sibi præciperet. Et paulò post: Illud melius, occupare antequam rogemur. Et appellat rogatum, molestum verbum, onerosum, demisso vultu dicendum, quia nulla res carius constat, quàm quæ precibus empta est, ut dicit Apul. Non levi mercede emit, qui precatur; aut parvum pretium accipit, qui rogatur: & Cicer. act. 7. in Verrem. Malo emere, quàm rogare. Unde Hildes. Episc. Turonen. epist. 27. sic ait: Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis citò facere. Tardè velle, nolentis est argumentum, & qui citò dat, bis dare intelligitur. Celeriter præstanda sunt beneficia, ut potius accipiat improvidus, quàm importunus extorqueat.

G L O S S. X.

Doctorem.

S U M M A R I U M.

- 1 Doctorem, idest potentem docere, Episcopum esse oportet.
- 2 Fortuna nulla est, quanquam humilis, & abjecta, qua doctrina splendore, atque ornatu non fiat illustrior.
- 3 Episcopus omnium Sacrarum interpretationum, atque factorum scientiâ debet esse præditus.
- 4 Mitra Episcopi utriusque Testamenti scientiam designat.
- 5 Scripturas sacras, & Canones scire, omnibus Episcopis, & Sacerdotibus decens est, & necessarium. ibid.
- 5 Scriptura sacra lectio quas utilitates afferat, ostenditur.
- 6 Episcopus est veritatis lumen, ut lucis sua radiis ignorantia tenebras ab omnibus pellat.
- 7 Doctorem oportet esse Episcopum, ut etiam exemplo vita sua doceat, laboreque in verbo doctrinae. Doctores loquentes, & non facientes, damnati ab Isidoro. ibid.
- 8 Sermone vita respondere debet, ne aliud loquamur, aliud operemur. ibid.
- 8 Scientia inflat, non quidem suo, sed hominum vitio.
- 9 Scientia vera afficit, non extollit.

- 10 *Scientia sine caritate inflat.*
- 11 *Mentis aciem non solum operatio, sed ipsa etiam divinorum eloquiorum meditatio acuit, & illustrat.*
- 12 *Prædicare sapissime exemplo, & verbo debet Episcopus scientia, qua decet præditus.*
- 13 *Prædicandi munus Episcopis incumbit.*
- 14 *Ecclesia sine Episcopo comparatur arenti alveo.*
- 15 *Prædicare debet Episcopus exemplo intentus, & n. 16. 17. & 20.*
- 18 *Nemo sine speciali Dei auxilio ad eum venire, ac alios ad illum adducere potest.*
- 19 *Sanctitas hominis, & cum ipso ore concordia ad prædicandi munus exercendum requiritur.*
- 21 *Visitandi diocesim sollicitudo inter pastorales curas, & virtutum exercitium præcipuum locum habet.*
- 22 *Præsentia Episcopi velut spiritalis quidam sol tenebras flagitiorum, & perditorum hominum virtutis sua fulgore depellit.*
- 23 *Visitatio Episcopi personalis quas utilitates portet, ostenditur.*
- 24 *Episcopum non sufficit mittere probos viros ad lustrandas parochias, sed oportet & ipsum ire.*

DOCTOREM, idest, potentem docere, Episcopum esse oportet, ne inferiorum culpæ in eum refundantur, qui docendi officium accepit, quod exequi nescit, vel negligit, ut ait Gratian. *in princ. 68. dist.* Unde Turrecr. *n. 46. Præpos. num. 2.* & D. Acuña *in princ. dist. 43. num. 4.* tenent quod Episcopus debet docere; rectè enim Cicero sic ait: *Ut ager, quanvis naturâ fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic neque sine doctrina animus. Duo sunt, inquit Lactantius, que simul efficiunt illud, quod queritur, scientia id præstat, ut quomodo, & quò perveniendum sit, noverimus: virtus, ut perveniamus; alterum sine altero nihil valet.* Cùm ipse summus inter Philosophos Socrates rogatus esset, quod ei animal pulcherrimum videretur? *Homo, inquit, scientia exornatus.*

2 Si doctrina tantum splendoris hominibus affert, & nulla est fortuna, quanquam humilis, & abjecta, quæ doctrinæ splendore atque ornatu non fiat illustrior, quid eis præstabimus, qui in excelso constituti vivendi leges, atque jura cæteris præscribunt; qui oculi mundi sunt, & veluti sol quidam in Ecclesiæ cælo residentes, ignorantia noctem ab hominum mentibus depellunt? Doctrinam ab Episcopo Apostolus requirit, non lauream, sed hanc quasi doctrinæ testem exigit Concil. Trident. dum vult gradu Licentiatuæ in Theologia, vel jure Canonico insignitos eligi in Episcopos. Hæc est prima Episcopi, quæ Episcopus est, dos: *Summa enim, inquit Hilar. lib. 8. de Trinit. omnium virtutum Episcopatum est scientia, & doctrina.* Et Hieronym. *ad Oceanum. Absque sermone, inquit, conversatio quantum exemplo prodest, tantum silentium nocet. Est enim doctrina, inquit Theoph. in cap. 1. ad Titum, virtus, & character Episcopi. In litteris enim (ait Chrysológus in quadam epist.) prudens invenit unde sapientior fiat: ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur, inde Princeps accipit, quo populos sub aequalitate componat, nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam litterarum non augeat gloriosa notitia.*

Quoniam (inquit divinus ille Areopagita) perficiens omnis Sacerdotii vis, & scientia, à divina mysteriorum auctore bonitate divinis Pontificibus datur, jure ac merito in capitibus Pontificum scripta divinitus tradita ponuntur, quæ compendio, scienterque omnem Theologiam, omnem Dei operationem, doctrinam sanctam, divina, & sacra verba, & opera, orationes, & actiones docent, quas Hierarchia nostra habet, Dei benefici concessu, ac munere: quod divinus Pontifex, omni quidem facultate, quæ Pontifice digna est, præditus esse debeat, & omnium Sacrarum inter-

pretationum, atque factorum, quæ Hierarchiam attingunt, vera, atque à Deo tradita scientia, non illustrari modò, verum etiam aliis, ut Pontifici consentaneum est, tradere, perficereque divinis sententiis, ac summis, ut ita dicam, promotionibus ex Pontificis dignitate omnia, quæ in tota Hierarchia maximam vim perficiendi habent. Cùm † in Episcopo; Mitra utriusque Testamenti scientiam designet, ut supra tetigi *tit. 1. cap. 5. num. 18.* illam tenere debet, & in sacra Scripturæ lectione esse versatus Magister, & interpres, qua & alios ad veritatem erudire possit. *Legite, ait S. Augustin. tom. 10. Fratres mei Scripturam sacram, legite, ne ceci sitis, & duces cacorum. Legite sacram Scripturam, in qua quid tenendum, & quid fugiendum sit, plenè invenietis: legite eam, quia omni melle dulcior, omni pane suavior, omni vino hilarior invenitur, &c.* Et quod omnibus Episcopis, & Sacerdotibus decens & necessarium sit sacras Scripturas & Canones scire, cùm omne opus eorum in imitatione, & doctrina consistat, ædificentque cunctos tam Fidei scientia, quam operum disciplina, ex Bernard. *lib. 1. de consid. ad Eugen.* tradit Moya *de concordia sacrar. editionum, contr. 14. post princ.* quem refert D. Acuña *in comment. ad cap. 1. num. 2. dist. 38. † Sacra Scriptura, ait idem August. conc. 2. in Psalm. 90. sunt litteræ Dei ad nos de cælo missæ, exhortantes ut bene vivamus.* Optimè & S. Isidor. *Peluf. lib. 2. epist. 73. Sacrarum, ait, Scripturarum lectionem salutis viaticum esse existima, ut quæ eorum, qui eam studiosè, atque diligenter audiunt, probitatis amorem, ac virile robur præclaris, & illustribus exemplis parat.* Et B. Isidor. *Hispal. Episcopus lib. 3. de summo bono, cap. 8. Geminum confert bonum lectio sacrarum Scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, sive quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit.* Rectè verò monet Theodoretus, Episcopum ab Apostolo Doctoris nomine vocari, non qui sit eloquentia præditus, qui verborum flosculos pueriliter sectetur, sed eum qui est eruditus in divinis, & potest ea suadere, quæ convenit; nam, ut ait Hieronym. *epist. 83. ad Oceanum: Veteris præcepta legis & Pauli monita ad Titum perspicua docent Sacerdotibus necessariam esse doctrinam. Innocens enim, ait, & absque sermone conversatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet; nam & latratu canum, baculoque pastoris, luporum rabies deterrenda est.*

Episcopi iidem instituti sunt, ut lucis radiis ignorantia tenebras ab hominibus pellant, atque in eis veritatis lumen ostendant: unde Salvator dixit *Matth. 5. Vos estis lux mundi.* Quemadmodum enim Solem, cæteraque luminaria initio mundi Deus in firmamento posuit, ut lucerent super terram: ita in firmamento Ecclesiæ Episcopos quidem, tanquam Soles, alios verò Doctores, tanquam cætera luminaria, & sydera, ad illuminandas mentes hominum designavit, ut lucem quam ipsi à Deo receperunt, aliis impertiantur. Ita divina sapientia cuncta disposuit, ut infirma dirigat, gubernetque per media: & in supremo quidem rerum cardine Deus est, in imo autem populus; medius verò, atque sequester (ut alter Moyses) Episcopus est, qui locum illius tenet, qui Dei & hominum mediator pro nobis factus est.

Hinc Chrysostr. *1. ad Timoth. homil. 15. sic ait: 6 Ut quid dicit Apostolus: Oportet Episcopum esse Doctorem, nisi ut doceat? nec satis est quod doceat exemplo vita, imò oportet eum laborare in verbo & doctrina. Profectò si Præsul non pollet gratia doctrinæ, plurimæ Ecclesiastica disciplina exempla peribunt. Quomodo enim lucerna, si non lucet? Profectò inseparabile est lucere à lucerna: tenetur ergo lucere, quem Dominus voluit habere officium lucerne. Et ut modernus quidam addit: Sicuti fieri non potest, ut Sol illuminet, si obscurus sit, & caliginosus, ita neque Doctoris munere perfungi*